ARTIUM

RUDIORUM, SUBTILIORUM, SUBTILISSIMARUM.

seu

ACTIONUM HUMANÆ INDUSTRIÆ.

ORCHESTRA.

Ex

JANUÆ LL. COMENIANÆ à XXXI. ad L. Capitibus depromta, &

sub æstivi tempus Examinis

IN ILLUSTRI GYMN. LESNENSI publico explorata documento

PRAXIS COMICA.

ARS de Seipsâ.

Artem arti artes; ô Ars, artes artis ab arte!
Artibus, ô artes, artium ab artibus ars.

LESNAE, Ex Typogr. DANIELIS VETTERI. Anno CHRISTI M.DC.LI.

IN PERVETUSTÆ SZLICHTINGORUM FAMILIÆ INSIGNIA.



Stemmata SZLICHTINGI vivacis cornua Cervi,
Victricesq; gerunt cassidis axe comas.
Arma, Virosq; canunt eum laude togaq; potentes,
Atq̃ sago, ô Cervi his secula, fata date!

SEBAST. MACER. D. L.

ILLVSTRI VIRO

Dn. JOHANNI SZLICHTING

DE BVKOWIECZ, TERRÆ WSCHOWENSIS IUDICI REGIO, Inclyti Regni Poloniæ Teloniorum ut & Comitatus Lesnensis Administratori Supremo.

Dno Patrono gratiosissimo.

Nobilissimis Amplissimis Viris

Dn. PHILIPPO HELDT Seniori, Præ-Consuli.

D. SIMEONI DAN. à SEMANINA

D. GEORGIO STRICKERO

D. MICHAELI HENRICI,

D. IOANNI DECANO

D. ANDREÆ DLVGOSSIO

D. ANDREÆ KVNTIO

D. JOHANNI BOTE

OCTO VIRATVI LESNÆ SENATORIO.

D. SEVERO DAVM S. R. M. Pol. ut & Illustrissl. Regni Thesaurarij Secretario, Reipubl. Lesnen. ab Archivis.

DDD. Compatribus, Fautoribus & Amicis.

Æn.5.17. MagnanimeSZLICHTING,
18. *Spondeat, hoc aveam dare cælo*
Eccl.1.34. *Hic inter densas* corylos, L E-
52. *Et fontes sacros, postquam me*
Georg.489. *Sistit, & ingenti ramorum pro-*
Æn.2.95. *Tu casum gentis tecum indi-*
Ecl.1.3. *Quam patriæ fines, & dulcia li-*
Georg.2.511. *Exilio mutare jubent, excedere*
Intemerata fides, & conscia Nu-
Æn.1.604. *Urbe, domo socias! grates persol-*
605. *Non opis est nostræ, nostrûm nec*
2.537. *Persolvant grates & præmia*
1.58. Delecti proceres populi,
134. *Hos & amate focos, atq; arci*
3.132. *Hic muros avidi optatæ molimi-*
86. *Qvi genus, & parvum Trojam,*
190. *Pergama, mansuramq; urbem,*
136. *Connubijs arvisq; novis opera-*
2.16. *Ædificaret ubi gentis cunabula*
Præsentes licet hic qvoniam co-
6.795. *Quà latè imperium profert*
8.192. P E R S T E I N I *magni genus al-*

non si mihi Juppiter autor
classibus Austros! Æn.3.61.
SZCŻINIA *Tempe,* Geor.2.470.
frigus opacum,
tegit umbrá!
gnatus amicæ,
mina terræ Geor 2.521.
& aris, Æn. 2. 351.
mina veri! 348. 141.
vere dignas
quicqvid ubiq́; est!
Numina reddant!
hic spes discite vestras; 9.103.
attollite tecta 134.
ni & urbis! 349.
simulataq́; magnis 26.137.
& nova fata dedistis;
ta juventus 103.
vestræ! Ecl. 1. 41.
gnoscere Divos! Æn.6.799.
LESZCZINIUS *Atlas!* 5. 45.
to à sangvine Divûm! Geor. 2. 493

Quem

15 51. *Quem populus poſcunt, Patres-*
2.155. *Et pietate gravem & meritis*
6. 810. *Fundavit Veſtram, atq́ procul*
8.308. *In Vos accipiens animum men-*
5. 41. *Primus defeſſos opibus ſolatus*
1. 430. Jura, magiſtratuſque *legit,*
Ecl.4.53. *O mihi tàm longæ maneat pars*
54. *Spiritus &, quantum ſat erit,*
Æn.2.281. *O Lux Sarmatiæ, ſpes o fidiſſi-*
Ecl. 1. 24. LESNAq́ *alias tantùm caput in-*
24. *Quantum lenta ſolent inter vi-*

- Res ingēniē tractandi (Philoſophia) *Artes nimirum*
  - I. Rudiores, Ruſticanæ, *naturam in Vegetatione juvantes.*
  - II. Subtiliores, Mechanicæ, *Naturæ opera trāsformātes, in uſus Vitæ*
    - Neceſſarios, *ſcil.*
      - Victum
        - frumē
        - carne
        - potu
      - Amictum, Habitacula
    - Cōmodos *paradæ*
      - Vtenſilia *domeſtica*
        - Argilla
        - Metal
        - Lignea
      - Inſtrumenta viatoria
        - Pedeſt-
        - Vehicula-
        - Navigato
      - Machinas tractatorias —
    - Oblectatorias — — —
  - III. Subtiliſſimæ, *liberales* — — —
  - Libri, Bibliothecæ, Scholæ, — — —

que, & purpura Regum,
qui legibus urbem
discordibus armis
temq́ benignam,
amicis,
sanctumque Senatum!
ultima vitæ
tua dicere facta!
ma, Patrum!
ter & efferat urbes,
burna cupressi!

PVBLIVS VIRGILIVS MARO
interprete
SEBASTIANO MACRO G.L.R.

Horticultura Act. 1. Sc.2
Agricultura Sc. 3.
Pecuaria Sc. 4.
saceum. Act. 2. S. 1.
um, Sc. 2.
lentum, Sc. 3.
Scena 4.
Act. 3. Scena 1.
cea,
lica } Sc.2.
& linea,
ria } Sc. 3.
ria
ria Sc. 4.
Sc. 5.
Act. 4 Sc.1.
Scena. 2.
Sc. 3.4.

PERSONÆ.

Prologus, Artifex.

Cleanthes.
Aratus.
Eratoſthenes
} Exarchi Triũviri

Varro Villicus

Bardurus.
Corydon
Frondon
Georgus.
Burdus.
Stiverda.
Bucolus.
Meliboeꝰ
} Ruſtici

Molitor
Piſcator.
Auceps.
Venator.
Lanio.
Coquus.
Oenopola
Zythopæus
Crematobiba.
Alamodiſta.
Netrix.

Pannifex
Sartor
Alutarius
Sutor
Architectꝰ
Latomus
Minerius.
Vegetius.
Corioſeca
Coſmopolita
Auriga.
Scaphius.
Liburnus.
Tollenius.
} Artifices.

Aularchꝰ
Icodeſpotes.
Deſpotikyriꝰ
Hipparchus.
} Aulici.

Philonius.
Vanellus
Spudæus.
} Art. Libr. Magiſtri.

Deſiderius.
Typographꝰ
Epilogus.
} Tyrones.

PROLOGVS. Artifex.

Naturæ arcana delitias divitiasque, ipsos defectus & monstra, non-ita-pridem publico explicari audivistis Actu, & Physices *explanatione* Comenianæ, *Reverendi Clarissimiq; Domini Scholarchæ, jā ad* Opera *nobis transeundum est* humana, *ut palam constet, quomodo transferant Naturæ opera ad suos usus*, Rustici *in Villis*, Opifices *in Oppidis*, Literati *in Scholis. Me proinde ita & arte & artificialibus onustū instrumētis vobis præsētari, ne quid novi habeatur, lustrationi dicta dies literariæ, ego agminibus in aciem producendis datus promachus, sic comparco, ut fidem atq; industriam afferam Præceptorum, diligentiam verò mei in studijs comprobem commilitij, spe certâ*

fretus, nec vobis, quod agitur, quod agendum est iri improbatum, rumpantur ut ilia Codro. Patimini proinde ut omnes omnium in publicum prodeant Opificiorum & Artium humaniorum, quos & quales nobis Janua Linguarũ à 30. ad 50. Cap. exhibet, Magistri. Singuli artis suæ profitebuntur solertiã à Clariss. Dignitatib. Vestris benevoli affectûs & incorrupti exspectaturi sententiam judicij.

Actus I. Scena I.

Cleanthes. Aratus. Eratosthenes.

CL. Librũ Naturæ *per Rerum Naturalium primum Ordinem, Progressum, & aberrationem, nuperá perlustravimus consultatione. Vbi in* Progressu rerum imperfecto *sc. per solam concretionem* ; perfecto *per Generationem*, perfectissimo *per divinitatis participationem tanta lux*

divi-

divinæ se diffudit sapientiæ, ut tetrò animi atq́ oculorũ scotomate percussum esse oporteat hominem, qui talia non videat; supinæ negligentiæ & prostrati ingenij pecus, qui ad ediscenda omnia non assurgat cum summâ animi lubentiâ. Jam varia in manus se porrigunt humanæ specimina industriæ, viva profectò divinitatis in hominis mẽte sparsa spicilegia! Arat. *Quænã illa?* Cl. *Res ab arte & Natura productas ingeniosè tractandi dexteritas, quæ passim* Artificia *audiunt. Ea cum nuper Rescripto Principis per singulas tribus inspexerit Eratosthenes, tantùm nobis proculdubio gratificabitur, ut vel ipse breviculam singulorum instituat delineationẽ artificiorum; vel, singulas tribus, prout mandata accepit, in conspectum producat nostrum, ut quid ex toto isto labore hominum in Regem Remq́ commodi redundet publicam, publi-*

publico nostro, ut pote, Trium virali Regis Exarchatûs constet testimonio. Erat. *Faciã utrumq; meritò ac lubens. Antequam igitur horâ condictâ jussi comparuerint artifices, placet brevem eamq; perspicuam oculis vestris subÿcere hypotyposin humanorum. Res igitur ingeniosè i. e. Philosophica industria tractandæ, sunt* Artes *trifariam tributæ* Rudiores. Subtiliores. Subtilissimæ. I. Rudiores *sũt Rusticanæ, Naturam in vegetatione, juvantes Horticultura, Agricultura, Pecuaria.* II. Subtiliores *Mechanicæ. Naturæ opera trãsformãtes, vel* in usus Necessarios 1. *in victum scil. frumentaceum, carneum, potulentum:* 2. *in Amictum.* 3. *in Habitacula. vel,* in usus commodos, *parando* 1. *Vtensilia domestica Argillacea, Metallica, Lignea & linea.* 2. *Instrumenta Viatoria Pedestria, Vehicularia, Navigatoria.* 3. *Machinas tractorias. vel* in usos

oblectatorios *reperta lautitici & sensuũ refocilliationi servientia.* III. Subtillissimæ *sc.* liberales, *humanum animum excolentes.*

Actus I. Scena II.

Triũ Viri, Varro, Villicus, Bardurus. Corydon, Frondon, *Rustici.*

BAr. *Vita rustica & antiquissima & imperij sceptris multis jam potior olim Regibus fuit.* Et *qui non? in re rustica veræ veterum divitiæ, vita innocens, vita sine crimine quæstuosa, vita proventu ruris & quiete beatissima. Habeant sibi delitias suas urbani & divitias, habeant tripudia, sed & scelera sibi habeant, & scelerum pedisequas mordaces animi curas & cordolia.* Cor. *Sic ajunt. Mihi fænus* DEO *fænari fuit hactenus, semina sulcis credere, & sortem quotannis recipere cum copiosa laboris refusione,*

quæ

quæ victui amictuiq; honesto de anno in annum sufficiat. Fron. *Optima cum* DEO *negotiatio. Nec enim hic inter Venditorem & Emptorem ulla intervenit peccati labes. Vnicum est quod animum angit maximè, Dominorũ trux in subditos ingenium, Municipum artificiosa rudem plebeculam divexandi vernilitas ut neutri se vivere putent, nisi hanc, publico quasi ad id auctorati diplomate, ad amussim exerceant professionem.* Cor. *Ho! ho! Nescis pastores esse, non tondere pecus doctos sed deglubere.* Fron. *Egregios verò custodes ovium, quos ajunt, lupos. Non deglubere pecus sed & succum & sanguinem exsugere, ossa ac medullas excoquere peritos.* Bar. *Lachrymis subditorum saginari Despotas pellibus contegi, egestate superbire, non nostri demum est seculi, sed & illius, quo Maro percontatur: Cujum pecus? an Melibæi?*

libæi? *Idem de nobis hodie fiet.* Cor. *Quid hoc sibi vult?* Bar. *Non te per Viatorem accersi ad Exarchos jussit Varro municeps.* Cor. *Sic quidem est, ideò præsto sum, ut super nebulone de illatis sæpius injuriis conquerar gravissimè.* Fron. *Dignissimus quem malè perdant Superi! Nunc Domino pensiones annuas, nunc Reipubl. fumarias agrariasq́; (non exhibito Scabinatui publico diplomate) exactiones imperat; nunc insvetas populos operas atq́; onera, nunc vecturas & angarias, nunc nundinarum mercimonia causatur, ut rem non Domino, sed sibi, vel certe minore parte Domini faciat, adeò exigendo, rapiendo, per fas & nefas opes corradendo nunquam satiatur saccus iste stercorum pertusus.* Nobis *interim, ut dies diem sequitur, sic onerum multiplicantur lateres. Sed viden' ut se theatro infert Magnificus! Varro:*

Adeſſe juſſi ad limen Principis nebulones ruſticos! apparent rari. Mihi Municipium Clementiſſimi Ducis obtigit indulgentiâ, id proinde ago, ut fideliter & ad nutum Domini fieri velim omnia ubiq́;. Diſſimilis *omninò illorum* qui per caſus vocantur Grammaticos. Nominativum *vid. quod rerum experientiâ eſſe credantur celeberrimi.* Genitivum, *quod præcipuæ ſint dignationis & priſcâ oriundi proſapiâ.* Dativum, *aureis hamis piſcari periti.* Accuſativum *per aliorum criminationes ruinas patrimonij reparare avidi.* Ablativum, *rapto & expilatione proximi, Superiorum gratiam venari potentes.* Vocativum *meum eſſe memini legitimæ auctorationis, charecterem, nihil fortunæ, omnia ſoli debentem Virtuti & ei obſtetricanti induſtriæ. Sed dum declamito tempus comparendi advenit. Heus vos?*

Bard.

Bard. *Adsumus benigne Domine.* Varro. Scultetiæ *omnes comparuerunt cum* Scabinis *& populo pagico?* Bard. *Singulæ adsunt & mandata tua præstolantur.* Gnadeherr. Varro. *Sequimini me intrò & ad interrogata Exarchorum respondete prompta linguâ ac faucibus, non mussatico ruditu, ut solent, imò ut soletis pecora Arcadica.* Cor. *Quid de nobis fiet, vicine Bardure?* Fron. *Quorsum vocamur, num male delati, male luemus scelus?* Bard. *Nisi forte hic aliquid intriverit anteambulo, nobis exedendum erit. Sedeamus.* Rarò Sors mala præcipat in mentem boni conſciam, *hic verò si quid secus dixerit, sciat capiti suo parari casses, quib. vel cum nostrum omnium suspendio, capiatur furcifer.* Var. *Salvete Illustres Trium-Viri. Comparemus in conspectu vestro Ego & Subditi, Illustrissimi Principis, Vestraq́,*

acce-

accepturi mandata. Arat. *In tempore venire peropportunum est. Nihil Princeps, nihil nos volumus aliud, quàm ut rationes Tuas pariter atque Subditorum subducamus, & quò cōmoda Principis promoveri, damna averruncari possint compendio, maturâ dispiciamus deliberatione. Facies igitur, quod tui est officij & quid operarum singuli peragant, palàm ut explicent, monebis sedulò.* Var. *Fiet.* Labores rustici *Triumviri Illustres,* habent se trifariam; Ruralium *etenim operarum officina est* Villa, *cum* Hortis, Agris, Pascuis: *ubi curatur, ut naturalia feliciùs procrescant.* Arat. *Horticultura quomodo exercetur ab* Hortulanis (*Olitoribus, Arboratoribus, Topiarijs*) *vel edulıorum causâ, in* Olitorio & Pomario; *vel deliciarum ergò, in* Viridario & Topiario. Arat. *Horti quibus sepimentis muniuntur?* Var.

Id

Id dicent, qui operas facêre, subditi. Dic jam Bardure quem hortum *sepiveris?* Bar. Olitorium, *humili sepimento ut est agger ex congesta humo factus.* Cor. *Ego* lupuletum *circumsepsi Macerie è congerie lapidum acervatâ.* Fron. *Ego* pascuum *munivi Vacerra ex una & altera pertica constructa;* Allus. *Ego* Pomarium Sepi *altiori è sudibus & vitilibus plexa.* Alius. *Ego* Viridarium *Plancis è tabulis ligneis coägmentatis.* Alius. *Ego Murarijs cum è cæmento & calce* murum *circa Villam struerent adstiti bajulus.* Varro. *Tu Corydon Olitorium quomodo fructificationi præparasti?* Cor. *Ego tanquam* Olitor saturus olera *terram elapidavi, lætamineq; superjecto* impinguavi: *tum ligone (mará), aut bipalio præferrato,* fodi; *pulvinos palâ* adaggeravi; *semina per areolas* sparsi; *irpicibus, aut*

rastel-

rastellis, cōſarrivi; *ſi macritas ſoli, aut ariditas cœli requiſivit*, rigavi; *dein, poſt factam germinationē*, exherbavi (*h.e. impertinenter adnatas herbulas, manibus, vel ſarculis;* runcavi); *matura tandem oluſcula reſecando, aut evellendo, aut effodiendo*, collegi. Var. *Tu Frondon quâ dexteritate opus peregiſti Arboratoris?* Fron. *Qua potui maximè.* Plantarium *plantavi, dum aut* ſeminarium *ſemine variorum fructuum conſero: aut* Taleas *vel malleolos depango; aut* viviradices *ſero (concinnitas verò eſt, ſi decuſſatim, hoc eſt, per quincuncem, ſerantur): iiſdemque viviradicibus clavolas inſero (quod* inoculare *eſt); inſitos oblinio (quod* emplaſtrare *eſt); atq; ſuo tempore germina ſcalpro puto*, Stolones *exputo, nodationes abnodo, & ſi quid exareſieri cœptum eſt amputo.* Var. *Auditus es nuper ad auras cantare, dum infirmas*

mas & malè affectas curas arbores. Fron. *Etiam rusticum tædia temporis fallit melos. Dum enim* Muscosas, verminosas, formicosasvè *Arbores à musco, erucis, araneis, depurgo:* sideratas *verò*, cariosas, steriles, effœtas *vel ablaqueo (hoc est circumfodio, summatim aut profundiùs) rursumq; circamaggero; vel stirpitùs eradico: (recisa siquidem, aut etiam excîsa, repullulant; evulsa, non refruticantur) spe citiùs decurrit labor, & grata ex frequenti assultu desultuq; arborum intra fauces excitata cibi accessit appetentiâ.* Var. *In fructus igitur arborum avidos diduxisti rictus.* Fron. *Non me lupina, non vulpina angit fames, nec ita tractari sunt fœtus arborei.* Varro. *Quomodo igitur?* Fron. Fructus maturi, *aut* decidunt *ultrò; aut manu strictoris* carpuntur; *aut (si quô manus non pertin-*

tingit) *perticâ* decutiuntur; *aut arboris quassatione* excutiuntur; *&* *à legulis colliguntur*: *sed durabiliores sunt* strictivi *cadivis*, serotini *præcocibus*, vegeti *victis*, conditivi *crudis*. *Eduntur aut recentes* (*aliquando cum termite devulsi*), *aut fracidi, aut torridi* (*ut*, Caricæ, *&* *Uvæ* passæ, *majores & minores*), *aut conditanei*. Var. Oleum quomodo paratur? Cor. *Pressurâ olivarum exprimitur* Oleum *in ampullas oleatias*: *amurca verò subdus sidens, unà cum fracibus, abjicitur*. Varr. *Sed heus, ò bone, nonne tibi quoq; curam injunxi viridarij*? Cor. *Sic est*: Viridarium *ego è floribus selectioribus, plantisq; rarioribus, apparat, & opere topiario* (*id est, ambulacris amœnis, pergulis virentibus, stibadijs, &c.*) *salientibus deniq; fonticulis, & hydraulis, exornat*. Var. Tempus plantandi *quodnam est com-*

mo-

modiſſimum? Fron. Autumnale, *veluti* inſerendi Vernum, *hoc, quia Natura circa ſuperiora, illud, qui circa inferiora occupatur.* Varr. *Quid præterea hortenſium habes obſervationum?* Fron. *Perparum.* Plantatio inſtituatur *à meridie, vento ab occaſu æquinoctiali flante & ☽ decreſcente. Arbores alias felicius inſeri alijs, vid. ficus moro & platano, morus caſtaneæ & fago. Pyri ſurculi moro inſixi rubra producunt pyra.* Damaſcena *ſylveſtri pyro impacta coälescit. Ceraſus perſici hoſpicium non reſpuit, nec hæc illius.* Surculi inſerendi *ſint infra unius anni internodium, præcidantur trium vel 4. digitorum intervallo, ut cuſpidem inſerendam præbere queant, poſtea ſalvâ medullâ exacuati, fiſſuræ trunci ſecti immittantur, ut lignum ligno, cortex cortici reſpondeat, mox vimine adſtringantur, & cera cum tere-*

bin-

binthina facta plaga oblinatur quò adversus cœli & insectorum injurias defendi possint.

Actus I. Scena III. Agricultura.

Georgus. Burdus. Stiverda. Varro.

GEor. *O fortunatos nimiùm, sua si bona norint*
Agricolas; quibus ipsa procul discordibus armis
Fūdit humo facilē victū justissima tellꝰ.

Burd. *Nec tamē (hæc cū sint hominūq; boūq; labores*
Versādo terrā experti) Pater ipse, colēdi
Haud facilē esse viā voluit: primusq; per artē
Movit agros, curis acuens mortalia corda.

Stiv. *Ante Jovem nulli subigebant arva coloni*
Nec signare quidem aut partiri limite campū
Fas erat: in medium quærebant, ipsaq; tellus
Omnia liberiùs, nullo poscente, ferebat.

Georg. *Jocamur scilicet in re seria, Vicini.* Burd: *Mihi certè non jocus est natus labore labor.* St. *Aliter quippe sub Saturno vivitur; sub Jove frigido aliter.* Georg. *Iniquum fuit gravi Regnum Jovis torpere veterno.* Burd.

Benè

Benè igitur ſit, variegato veſte, mente vario, Varroni; qui nos omnes, non uno ſed mille delaſſat ad necem uſq́ laboribus. Stiv. *Egregio ſanè Superis Georgus litat palpo, cum nihil minus, quam quod loquitur, credat.* Georg. *Sorte expugnare velle palpo quid juvat? Operas placido edulcare graves, quid vetat, diverbio? Manet manebitq́ verbum irrevocabile;* Agricolas panis cauſâ agrum colere. Burd. *Hoc ſcilicet vis,* Agrum *ſementi* præparare, *ſemine* obſerere, *fruges* demetere *atq́* exterere. Stiv. *Siquidem ſeriò loqueris, quomodo agrum præpares nos edoce, vicine George.* Geor. Bonꝰ Agricola agrū præparat, *dū in ſolo inarato vepres exſtirpat; vel aratum, ut fiat* reſtibilis ager (*qui continuo biennio queat conſeri farreo ſpico*) *ſtercorat:* Novale *tamē, quod tum primùm proſcinditur,* & Vervactum, *quod alternis annis perſeritur, quia requieta & feracia*

 ſunt

sunt, stercoratione haud indigent. cæterũ ipsa aratio quibus perficiatur modis, ab annis quibus ramos de terra poteras contingere, jam pridem didicisti Burde. Burd. *Qui non didicerim? Ego enim tot annorum Arator, bobus ad* Aratrum *junctis, & stimulo agitatis, teneo lævâ* stivam, *nè inter arandum deliret, dextrâ verò* rallam, *quâ glebas amoveo:* Vomer *interim*(buræ *insertus*)*cũ* dentali *terrã proscindẽs,* sulcũ *facit: quô peracto,* Versura *fit toties redeundo sulcatim, donec* jugerum *absolutum, fimusq́ subaratus, sit; tùm enim rursus abjugo.* Georg. *Cum fundo perarato quid tandem agis?* Burd. Fundum *sic peraratum, aliquãtò pòst offringo; tùm itero & tertio; atq́, si glebosus est, Cylindris supervolutatis, aut occis tractim raptatis, inæquo; in uliginoso agro elices, ad uliginem derivandam, facio: demumq́* arvum *paratum habeo. Arvo parato Satorem superindu-*

co

co Stiverda qui per areas frumentum sementivum, (*quod plusquàm aniculum esse non debet*) *seminat, seminationeq́ peractâ, inoccat; tùm sata, dum fruticescunt, nè à zizanijs suffocentur, sarrit.* (Frumentum autumnale vere satum, *Alicastrũ* dicitur; miscellaneũ, Farrago.) Stiv. *Non cujusvis* est *sed* periti satoris ὁμαλῶς *æqualiter æquaq́ manu serere*, *ubi manus congruere debet cum gradu, maximè pede dextro.* Plena manu seritur *triticum, secale vel siligo, hordeum, avena, & imprimis, quæ siliquis teguntur, ut milium & panicum; atrapaceum* ternis *tantùm* digitis. *Cum terra alia aliâ plus seminis postulet, una & eadem mensura omnibus agris tribui nequit.* Triticum *committitur solo, cui hordeum vel pisum concreditum fuit.* Vicia, pisa, lentes, fabæ *aliaq́ ferè omnia* legumina *pingvi humo seri postulant, atq́ his sublatis ager idem restibili* (*quotannis repeti-*

 ta)

ta) ſegete optimè triticum, milium, pa-
nicum vel rapam excipit. Agrum ſa-
buloſum (ſandicht) tertio quoque
anno quieſcere, biennio aut triennio opor-
tet, ut deinde ſtercoratus ſiliginem reci-
piat & poſtea avenam. Agro novali aut
è paſcuo proſciſſo primùm committitur a-
vena locis fœcundis, idque unâ aratione
atque inde reſtibili arvo rapaceum
ſemen, pòſt hordeum, deinde triticum vel
ſiligo, ac tandem avena, inde ſtercorandũ
aut quieti relinquendum. Semine terræ
commiſſo occandum eſt ſolum, ſarriendũ
& interdum runcandum. Siligo ſeritur
circa finem Septembris aut initio Octobris
terra læta, in ſabuloſis etiam in Februa-
rio ſeritur, nobiſcum ferè Menſe Martio.
Hordeum idque hybernum ſeritur in
Septembri, æſtivum Martio vel Aprili in
terram ſolutam & pinguem. Vt rapum
ab erucarum injuria vindicetur, ſatio-
nis tēpore fuligo miſceatur ſemini. Ave-

nam

nam *qualecunque solum facilè recipit veluti&c.* φαγόπυρον, triticum faginum, Heydenkorn. Milium, *quia temporibus lætatur, ante Ver non seritur ejusque seminis pauxillo amplus ager completur.* Faba *seritur* ☽ *crescente in solo pinguissimo & stercorato.* Pisum *frigoris impatiens apricis in locis seritur probè stercoratis, circa Martium & Aprilem.* Lens ☽ *crescente ad duodecimã terræ mãdatur eodem tempore.* Cicer *pridie quàm seratur, maceretur & cœlo humido in locum quàm lætissimum mittatur.* Linum *gaudet pingvi solo modiceque humido, seritur vere, æstate vellitur.* Cannabis *loca amat pingvia, stercorata & irrigua, vel planum & altè subdactum solũ.* Ha*ctenus labores habuistis agricolæ, ast segete flavescente quid tum agitis?* Georg. *Quando segetes flavescunt* Messis *adest, tum segeti maturæ immitimus, messores (tanto alacriores, qvanto uberior messio)*

qui ſeculis frumenta demetunt, demeſſa manipulatim diſponunt, manipulos in mergites raſtris *colligunt, colligant-que* tomicibus, & *congerunt acervatim per quindenas; ſuoq́ tempore* mergâ *pre-henſos inijciunt plauſtris,* & *convehunt in* horrea (*aut ſaltem congeſtant in* nubilaria); *ſpicilegio relicto egentibus*, ſtipulâ *verò paſcuis.* Stiv. *Convectum in horrea frumentum trituratur fortaſſis?* Georg. *Sic eſt. Tùm enim* Tritores *in area frumentum triturant* flagellis, (*olim tribulabāt, h.e.* Tribulâ *exterebāt, ſeu exculcabant*): *excuſſaq́ grana ſubjectando* ventilabris *emundant à paleis*, & verriculo pennato *expurgant ab aceribus, panis acerosus quem delectet?*) & *ſecernunt* incerniculo *ab apludis ac recrementis; demumq́ indunt ſaccis*, & *inferunt opulentiores* Granarijs, *pauperiores* Cumeris, *hoſtem metuētes* Cryptis: *ſtramenta religantur in faſces. Unum ſupereſt quod Agricolam* & *ornat è accu-*

ratum reddit Oeconomum? Stiver. *Quodnam illud*? Georg. Prognosticationes rusticæ, *ex diebus* 12. *mensium desumptæ Criticis*? Stiver. *Docear, quæso, abs te quamvis non postremus inter glebæ habear adscripticios*. Georg. *Arrige proinde aures, ad stivam homo nate*. Calendis Januarij *cœlum latè rubens bella tempestatesq́ minatur*. *S. Vincentius, sole renidens puro, vini spondet copiam*.

Clara dies Pauli bona tempora denotat anni,
Si fuerint venti designant prælia genti,
Si fuerint nebulæ pereunt animalia quæq́;
Si nix aut pluvia, tunc fient tempora cara.

Si plantaria & segetem semper viridia cupis, supremo Bacchanalium die planta, & semina in Februario: *quantum lumē eo die sol dabit, tale per sequentes* 40. *dies exspecta*. *Quot* Martius *dabit nebulas, tot per annum numerabis pluvias & imbres: Quoties ceciderint rores, toties post pascha pruinæ. Dies Palmarum turbidus, malum*. Aprilis *non siccus, placet*.

Ur-

Urbanus in Majo *serenus vini ubertatẽ pollicetur. Pluviosus, ut & dies Pentecostes, infaustum omen. Pluvia S. Joh. Baptistæ* in Junio, *actum esse de avellanis clamat.* Quintilis *si maduerit die Visitationis Mariæ,* 40. *alios pluviosos inde indicat. S. Jacobi festum si triduo anteverterit serenitas, benè habebunt frumenta, sin secus, fient olida.* Ex *hoc die* quoq; hyberni temporis, *quod Natalia Domini præcedit, cape* prognosticon: *sol lucens, frigidam notat hyemem; pluvia tepidam humidamq́. Sol, Diem assumptionis in cœlũ* B. *Virginis illuminans,* in Sextili *benè de vino sperare jubet.* September *anni futuri statum docet, die proinde S. Michaelis Archangeli glandem cape & inspice: Araneolus pestem portẽdit muscaq́ bella; Vermiculus boni feracisq́ anni index: de globulis gallarum par judicium. Bestiolæ in glande latentes pulchræ æstatis bonitatem indicant:*

ma-

madidæ, æſtatem madidã; macræ, calidam & aridam. Glandium copia hyemem maturam niveſq́ altas ante Chriſti Natalem portendit, poſtea intolerandum frigus. Folia Octobri, arboribus non decidentia, per frigidam hyemem; & poſt erucas portendunt. Novembri inſpice æſculum; lignum ſiccum, hyemem tepidã; humens, algidam denotat. Si Decembri Natalis veniat luna incrementum capiente, annus erit optabilis; ſi creſcente, inimicus. Stiv. Hoc ſcilicet eſt in re ruſtica ſapere poſſe eventura præcognoſcere. Illud verò de glande globuliſque gallarum quo nititur fundamento? Georg. Vermiculi ex putrefactione nati, conſtitutionis cœli calidæ & humidæ, ac proinde fæcundantis terram, ſunt indicium fertilitatis. Muſcæ urentem cœli ſiccitatem arguunt perquam fervidis atque acrib. corpora uſtulantur humoribus. Aranei ex venenata putredine nati,

putre-

putredinem aëris, febres pestilentes gignentem, præsagiunt.

Actus I. Scena IV. Pecuaria. Bucolus, Melibæus.

BVcol. (*Fistulabit ebrius*). Mel. *Unde, unde Bucole, & voce jubilans & fronte serenus?* Buc. *Ubi homines curis soluti, & vivunt & bibunt hilariter.* Mel. *Vox boni Venditoris, vix Emptoris est.* Buc. *Imò utriusq́. Præpinguiũ corpora boum grandi solvere pecunia, utriusq́ cedit commodo, vendat si potest grandiori, mihi mea, quò rarior, eò charior: & quod rei apex est, bonæ pararia Cerevisiæ?* Mel. *Ubinam locorum?* Buc. Iaroczinij, *ubi millena millia boum venduntur robustissimorum? Mei certè paulo minores bubalis, precium spe fecêre majus.* Mel. *Gloriā te pastorum, ipse fatebatur* Damō. Bucol. *Sed credere posse negabat: Novi hominis ingeniũ! Semper sc.*

Fer-

Fertilior seges alienis semper in agris;
Vicinumq́; pecus grandius uber habet.
Mel. *Quam suspicax es Bucole! desino!* *tu arcana tuæ me edoce* pecuariæ! Buc. *Jam pridem nosti hominem esse me pecorarium, qui pecorum curâ victum quærit;* lactarijs *puta*, lanicio, *&* carnibus: *providet ergò pecoris* fœturam, stabulationem, pabulationem, *&c. per pecuarios.* Mel: *Ut innumerato habes omnia!* Fæturam *igitur* quomodo promoves? Buc. *Facile disces;* feliciter fætant *pecudes, quando matrices boni sunt seminij.* Mel. *At stabulationem quotuplicem habes?* Buc. Stabula *mihi sunt*, Ovile, Caprile, Suile, Bubile, *&c. & tralatitiæ caulæ*, Mandræ, *quibus includi solet noctu ovinus grex, ad agros ordine stercorandum: sed alicubi pastoria turba* mapalia *quoq́; sua plaustris circumvehunt.* Mel. *Pabulatio diversa adeò pecori unde suppetit?* Buc. Pabula *sunt pecori meo, vel recen-*

tia pascua, (*quo greges & armenta per publicos* actus *prodigi*, & *in locis compascuis compasci*; *si verò unus pastui non sufficiat, hincinde dispesci, solent*): *vel ministrata domi*, herbacea, paleacea, stramenticia, *interdum* & frumentacea. *Prata dicantur* Fæno, *siq; fuerint siccanea, irrigantur corrivatis rivulis*: *ubi Gramen desectum aggregatur per strigas, siccatum a. corraditur rastris in cumulos*, & *acervatur bidentibus in metas, vectatur deniq; vectibus ad fænilia*: *è renascente fit* Chordum. Mel. *Varios te oportet alere pecuarios?* Buc. *Varios omnino.* Opilio *enim meus* (*pedo* & *flagro apparatus, imò* & *molossis, quos contra lupos communit millo*) *educit pastũ Oviariam suam, in qua peculium quoque suum, peculiari charactere insignitum, habet*: Tonsuræ *verò tempore, oviculæ à tonstricibus lavantuur, tondentur, detonsumq; vellus* Lanarijs *venditur*.

Cap-

Caprarius *capellas suas frõdium virgultis pascit*; Bubulcus *bubus suis* (*dum in* præstegis, *aut quibuscunque septis, stabulantur*) *pabulum exhibet in* præsepi, *vel* cratibus: *sicut* & Equiso, Agaso, Mulio, *suo equino, asinino, mulionio, armento*; subulcus *verò subus suis in aqualiculo*. Mel. *At* Villicam *quorsum adhibes*? Bud. *Audi & intelliges. Vaccæ præbent lac: quod Villica mulgendo* mulctrâ *excipit, è* mulctrali *per colum* sinis *infundit, postridie innatantem pinguedinẽ demit, & succussatione vasis* Butyrum *inde conficit, remanente* Oxygalâ. *E secundariò lacte coagulato* (*coaguli ope condensato*) *format in casearijs formis* Caseos (*vaccinos, caprinos, ovillos,*) *aut manu solùm pressas*, Metas; *defluẽte iterùm* sero: *tandem caseos in caseali desiccat*.
Mel. Quodnam pecus plurimùm adfert pecuniæ? Buc. *Mactationi destinatæ pecudes, quæ segregantur ab alijs, sagi-*

gi-

ginâque (in saginario) opimantur; utque pingvescant meliùs, genitalia illis inciduntur, unde Arietes, Majales, Capones &c. Mel. Etiamne quid morbidi accidit pecudibus? Buc. Pecudes quandoque morbidæ fiunt (oves pulmonariæ, sues grandinosæ, boves coriaginosi, equi hippomane infestati, &c.) Veterinaria medicina non ignoranda est illi, qui rem pecuariam curat. Melib. Quæ præterea pecoribus accensentur? Buc. Aves & Apes. Mel. Quasnam Aves innuis? Buc. Aves cohortales quæ in chortibus, Gallinarijs, Columbarijs, aluntur; & è quibus plumæ, pro explendis lectulis & culcitris, velluntur: Mel. Apes abundè tibi mellificant? Buc. Apes emittunt quotquot annis examē, (cum addito duce, Regem vocant) quæsitum novum alvear; ubi Crates sexangularibus cellulis struendo, & melligine complendo, faciant favos: è quibus (mella-

(*mellationis tempore*) *mel sincerum effluit*, *crates verò in* Ceram *liquantur*. (*Saccharum* est facticium Mel, è medulla Indicarum cannarũ excoctũ.) Mel. *Piscium cura quorsum recessit?* Buc. Pisces piscinarij, *qui in piscinis, seminarijs, vivarijs, asservantur.*

Actus II. Scena I. Artes Alimoniæ frumentaceæ & carneæ.

Trium Viri, Molitor, Pistor, Piscator, Auceps, Venator, Lanio, Coquus.

CLeant. *Omni in Republica, omnes omnium Ordinum Cives certo sociari ordine convenit. Hoc igitur est, quod in consessum nostrum, mandato Principis comparuistis* Tribuum mechanicarũ Magistri: *ut certas in classes tributi, Urbis nostræ, incunabula honestorum virorum augmento in justum faciatis assurgere splendoris incrementum.* Pann. *Man-*

Mandatum Principis exoſculamur. Tri-um-Viri Nobiliſſimi, petimusq́ officiosè tribuum nobis concedi inſtaurationem, quò nonniſi honeſtorum Natalium diſcipuli admittantur ad artificia, tribus verò noſtræ paribus cum Wratiſlaviâ gaudeat immunitatibus, & nemo Noſtratium per Vicinas Urbes & Regiones, imperiti vel vagæ tribus Magiſtri nomine, vapulet? Cle. *Facilè juſtæ annuemus petitioni: lubet tamē ante omnia* Collegiorum *audire* Tribunos, *quo loco res ſint veſtræ, & utrum ſufficienter Urbs noſtra probis peritisq́ inſtructa ſit Artificib⁹.* Pan. *Idè re noſtra fuerit. Satis fortaſſis erit* Primicerios Collegiorum *adeſſe, licet ſinguli non vocentur artifices* Cleant. *Satis.* Pann. *Jam adſunt?* Cl. *Quem ordinem ſervavit hactenus Reſpubl. in artificiorum diſtributione?* Pann. *Antehac, bifariam diſpeſcebantur* Artifices, *in* Liberaliores, *ſc. quales ſunt*

Typo-

Typographi, Pictores, aurifabri, Pannifices &c. *vel* Inferiores, *ut sunt Sutores, alutarij, Pelliones ob id quod circa materias corpus inquinantes versentur dicti, Sordidiores. Jam passim inclaruerunt* Artes Alimoniæ, Potulentorū, Vestiariæ, Ædificatoriæ, Vtensiliū, Itinerum, Machinarum tractoriarū, & Oblectatoriæ. Cleant. *Adsint* Alimoniæ pararij frumentaceæ, *& primi profiteantur artificium.*

ACTUS II. SCENA II. Artes Alimoniæ frumentaceæ & Carneæ, *Trium-Viri.* Molitor, Pistor, Piscator, Auceps, Venator, Lanio, Coquus.

MOl. *Adsumus, Exarchi Nobilissimi singuli artem mandato vestro professuri suam.* Arat. *Quem tu te igitur profitêre?* Mol. Molitorem. Arat. *Quomodo se habet Molitoria?* Mol. *Antiquitùs frumenta tun-*

 debant

debant solummodò pistillis, *in* Mortario, *accipientes inde* Ptisanam: *deindè pinsebant in* Pila, pilo *ruido, aut Græco; unde prodibat* Alica (*Crimnum*) & Lomentum: *horum officina fuit* Pistrinum. *Pòst excogitatæ sunt à machinatoribus* Molæ farinariæ: *ubi Lapis mobilis super immobilem* (meta *super* catillum) *adjuvamine rotarum velociter circumagitatus, frumenta* (*è superimpendente infundibulo pauxillatim delabentia*) *in* farinam *comminuit*; *Excussorium verò cilicinum, excernens pollineam in farinarium, furfures ejectat, aliò.* Molæ *istusmodi primùm erant* manuariæ (*trusatiles*): *succedebant* jumentariæ (*asinariæ*): *hodierno die utimur* alatis, *vento versatilibus, &* aquariis, *ad quas posito in flumine objectaculo aqua derivatur*: *sed ad majores aquas* Moletrinæ binæ, trinæ, quadrinæ, &c *fiunt*, *unde Molitoribus*,

pro

pro molitura, tantò plus emolumenti accedit. (Amylum est farina sine mola, solà tritici maceratione, pacta.) Arat. *Nimio vos inhiare emolumento ingemit plebs querula.* Mol. *Jure an injuriâ nescio. Similaginem nos cum pulvisculo converrere, atomos quoq; undiq; fumantes farinæ barba, mystace, capillitio imò, toto excipere corpore nemo negare potest, etiam invitos.* Arat. *Invitum quempiam furtum committere quis credat?* Mol. *Nō furtum facimus Domine, sed quod adhæsit inviti retinemus.* Arat. Etiam *emolumentum?* Mol. *Alia hujus, alia farinæ volaticæ est ratio.* Arat. *Hæc scil. non tam facile atq; illud molitorem fecerit pendulum.* Mol. *Absit, absit.* Arat. *Tu verò quis audis?* Pist. Pistor. Arat. *Antiquissimi artificij hominem ex quo enim homines cæperunt, cæperunt & edere.* Pistor. *Et quidem*

ex Adami instituto panes subcineritios primùm. Arat. *Fortassis.* Pist. *Hinc hoc privilegij Pistores obtinent, ut Pistoriam intranti Principi, indetersam polline vel massa exhibeant dexteram, illeq́ porrectam prehendere clementer teneatur, tanquam suam totiusq́ humani generis nutritiam.* Arat. *Hominum fidem! Modo id privilegij non fugiat Principes!* Pist. *Quorsum fugiat? Scio fuisse tam benignos, qui Pistori farinã cribro farinario cernenti adstiterint, inspectarintq́, ut affusâ aqvâ & fermẽto spatha ligneâ farinam subigat: decerptasq́ de subacta* Massa, *aut abrasas de mactra, massulas, depsit, & impositas* palæ *per* præfurnium furno *ingerit (proruto prius igne,* rutabulo: *non enim subcinericios panes coquit, ut olim): atq́ ita fit* Panis, *siligineus, similagineus, quandoq́ etiam biscoctus (buccellatus) nè muceat:* Fermentatus *habet crustas*

duas

duas, medullamq́ intus porosam; azymus *est densior & lentior.* Arat. *Laudatur industria. Unum superest, panem ut justo pondere ac precio venum exponas, ne lex, in secus facientes lata, in te quoq́ iniquum justè sæviat lucripetam.* Pist. *Id quidem cavebitur.* Arat. *Vos verò Quinq́ Viri quinam estis?* Pisc: Alimoniæ Carneæ *ex animalibus vescis audimus* procuratores. Arat. *Tu vero quid artis ejusmodi exerces?* Pisc. *Piscaturam.* Arat. Piscator *quomodo obsidiatur piscibus?* Pis. *Majores supernatantes confodit* Fuscinâ; *minores obnatantes illicit* Scirpiculis, *aut demersis* Nassis (*quô ingressis non datur exitus*): *profundiores extrahit ex amne* Sagenâ, *aut* Fundâ; *è lacu* Tragulâ, & Verriculo (*quæ ab appensis massulis infernè plumbeis mersantur, supernè subereis allevantur: macularum verò laxitatem diversam, pro granditate pisciū,*

 ba-

habent:) capturæ partem divendit, partem in seclusorijs concludit, indeq́ cùm opus est Excipulo *depromit; partem muriâ condit, pro salsamentis.* Ar. *Estne tibi aliquis adminicularius Piscator?* Pisc. *Est* Hamiota *qui hamo piscatur; cui inditam escam quisquis inescatus admorserit, captus est.* Arat. *Pro Principis obsonio quantum annuatim piscium pendis?* Pisc. *Cubitaliū luciorū sexagenas duas, sesquisexagenam semicubitalium, minutiorum pro diebus pisculentis, urnas quindecim.* Arat. *Vide ex fide agas, delicatiores pro Culina Principis serves, reliquos divendas; secus metue, ne aëre potius quā aquis præfocatus, pereas.* Pis. *Equidem non minus scelus metuo atq́ sceleris pœnam.* Arat: *Te verò qui adstas* aucupem esse *indicat, quam identidem ori admoves, fistula?* Auceps. *Sic est, Exarche Clarissime; aucupaturus enim exstruo aream, reti aucupatorio*

rio superintectam, cui escâ offundo; ipse verò in latibulo me abdens, fistulâ, vel aviculárum illicum *cantu, transvolantes allicio, advolantesq́; adobruo, & circumretio: aliquas implico* viscatis calamis, amiti *expositis, dum illis insidunt; alias impedio* pedicis, tendiculisque, & decipulis, *illaqueoq́;* laqueorum transennis: *aliquibus, immitto prædatrices aves: & quas (quocunq́; aucupio captas) incolumes video, incarcero* Caveæ. *ibiq́; pastionem præbeo in* canaliculo, *potionem in* potistri. Arat. *At tu viridanti tecte galero* Venator, *quomodo feris insidiaris?* Ven. *Raró contingit feris insidiari, sed venor feras, dum aut in scrobes foveasq́; pellicio; aut* Canum sagacium *odoratu per vestigia vestigo:* (*Odoratores* n. nictendo indagant, & è latebris expellunt; *Vertagi* a. numellis exsoluti, & venatorio cornu incitati, persequntur); *aut*

aut indagine *cingens arbusta*, *in* casses & plagas varis *tentas*, *irretit*; & *vel vivas capit*, *atq́ in* leporarium (*vivariũ*) *transfert*; *vel* venabulo *trãsadigens*, *interficit*. Arat. *Nimium in feras sævis Venator*; Lanio *Clementi⁹ fortassis agit in altilia*? Lan. *Vix ac ne vix quidem*. *Mactaturus enim altilia pecora* (*non vescula*, *vel morbida*) *prosternit ea primum in laniario* (*laniena*) Clavâ, *mox* Clunaculo *jugulat*, & *excoriat* (*deglubit*) *frustatimq́ concîdit*: Arat. *Quinam* Menses *per annum maximè sunt* fatales pecori? Lan. November *apud Belgas maritimosq́ populos maximus est* bovi-perda, *utpote procarnium salitarum* & *fumatarum promus-Condus anniversarius*: *Nobis maximus est* Sui-perda December, *quo Sues â mactatore pri⁹ aquâ perfũdũtur*, *quas radulâ glabrat*: *tum in* Pernas, Petasones, Succidias, Offas penitas, *dissecat*

secat

secat: suino verò cruore, & visceribus minutim concîsis, effarcit Farcimina: *tùm crassiora*, Apexabones & Tomacula (*Isicia*), Faliscum; *tùm graciliora* Botulos (*Lucanicas*) & Hillas. Arat. *Quænam* Carnes in macello *veneunt*? Lan. Bubulina, Vitulina, Vervecina, Hædina, Agnina, Suilla, *communiter; rarenter* Bubalina, Aprugna, *vel aliâs* Ferina. Arat. *At te quem esse credam obesule fumigator.* Coq. *Semimedicum Principis, seu quod idem est*, Coquum. Arat. *Quis te unquam tam præclaro censuit nomine?* Coq. *Princeps ipse sapido salubriq; à me refectus toties cibario.* Arat. *Tantum scil. possit* Coquus? Coq. *Cur non? Coquus enim esculenta omnis generis coquit: Aves tamen prius deplumat & exenterat; pisces desquamat & exdorsuat, interdum & exossat; induratos tuditibus contundit, & aquâ macerat.* E-

lixan-

lixanda ollis *&* cacabis, catillisvé, *operculo tectis, elixat: elixata sale & aromatibus (in* mortario *comminutis pistillo, aut in* Catino *conquassatis tudiculâ, aut super* radulâ *tritis) condit: Assaturas lardo trajectat*, Verubusque (*super crateuteria versabundis) suppositâ sartagine, assat: aliqua etiam super* craticulam *torret, aut in* lebete (*frixorio) frigit, (at si prænimium*, cremia *fiunt): è carnibus particulatim confectis*, Minutal, Pastillos, Turundas, *facit. Si quid effervescit, ac bullit*, trullâ *futat, ne ebulliat; si spumat*, tudiculâ *aut* rudiculâ *despumat:* Fuscinulâ *verò extrahit fervida*, fiscellâ *colat jusculenta*. Arat: *Et tantum operum unus perficis?* Coq. *Nequaquã. Est mihi ad manus* Cinislo *qui accendẽdo igni habet* Igniarium *cum* fomite, *sulfuratis, silice & chalybe: tum sufflat, buccis aut flabello, prunas collectans batillo:* Focaria *culinã verrit & ever-*

rit scopis, vasaq́ coquinaria purgat: quæ cum colluuntur, fit colluvies, eluenda per fusorium (aquarium) ut effluat. Arat: *Credamne istud quod auditione accepi rem eandem diversimodè alere?* Coq: *Sic est. Eadem res magis alit jurulenta quàm assa; magis assa, quàm frixa: tosta verò, infumata, muriatica, difficilis est concoctionis, nisi adjutu* juris piperatis, aut juris nigri, juris spissi, juris gelati; *vel* intinctûs alicujus: *sed* Artocreata, Tuceta, Tortæ, *ad placitum fiunt.*

Actus II. Scena III. Artes Potulentorum.

Trium-Viri, Oenopola, Zythopæus Crematobiba.

OEn. *Ad tribunal Vestrum me sisto Exarchi Nobilissimi vocatus, de quovis vase vinaceo Principi gratificaturus clementissimo.* Arat. *Placet ista promptitudo. Te antiquum Veteris Bac-*

chi

chi Antistitem, vitiferisq; præpositum collibus, nomine accersivimus Principis, Artes Potulentorum *ex Te percepturi, quarum originem ab ipsis mundi incunabulis, si potes, edissere.* Oen. *Gemina semper fuit, ex quo exstitêre, mortalibus* potio. Naturalis *vid. vel* Pararia. *Illa, Aqua fontana, puteana & fluminea: tùm* lac, *serumve lactis: dehinc didicerunt parare* temeta (*potus inebriantes*), *ut* Mulsum, pomariumque mustum; *tandem invaluerunt* Vinum, Cerevisia, Cremataque vina: Erat. *Vina, igitur ut Reipubl. suppetant Vinitorem te alere oportet, vel adventitia sub hedera divendere.* Oen. *Vtrumq; pari fieri curo solertiâ. Et ne Vineta sterilescant Principis*, Vinitorem *alo, qui plantat Vineam: dum collem apricum novellis viticulis* (*vitigineis surculis*) *obserit: aut* Vites *veteranas traducibus propagat; aut Vitium cacumina inflectendo*

terræ

terræ mergit, ut radicatæ utrinque, pòst discissæ, duæ fiant. Erat. *Nescin' Tu Vites sic radicatas nimiâ perire fertilitate?* Oen. *Scio. Hinc ille vitem, ne ubertate sterilescat, quotannis deputat, ut è* Resece *pullulent* Palmites *novi: qui cùm rarò per se surrecti sint, (licèt capreolis quicquid possunt apprehendant) eos arrigit, & statuminibus, alligat: nempe arboribus aut ridicis, aut transversis canteriolis, & jugis: (unde* Vitis arbustiva, pedata, *&* canteriata *seu* jugata, dicitur.) Erat. *Quid tum amplius agit?* Oen. *Tunc vineam* bidente *pastinat, & repastinat; mox pampinat (h.e.* pampinorum *luxuriantes coles & comas detondet); tandem vindemiat, racematione pauperculis relictâ.* Erat. Vindemia *quomodo Tibi absolvitur?* Oen. Vindemiatores botros *scapis abscissos, cōportant pytinis in* Torcularium: *conijciuntq; in* forum vinarium: *tum*

calcant, aut pilo ligneo contundunt, & *in* lacum *effundunt: unde* Mustum *per quales in* orcas *(urceos mustarios) defluit, uvorq́ reliqvus acinis exurgetur* tortulari: *sed (vinum)* lixivum *svavius est tortivo;* musteum, *dulcius elliquato;* meracū, *fortius diluto;* albū *magis calorificum rubello, aut helvulo.* Er. Satin' *tū populus exultat Oenotris.* Oen. *Exultant omninò. Alij, selectiores deglutiunt uvas, alij botros furtivis ingerunt sacculis, scrobibus occultis defodiunt alij, alij mustum per urceos mustarios defluens avidâ ingurgitant fauce, meraciusq́ haurientes titubant, screant, sputant, vomunt* & *(cum reverentia) visunt ac pedunt.* Erat. *Ha ha he! Ita scil: Baccho litant.* Oen. *Fortassis. Cæterum* & *hi numerus sunt fruges consumere nati.* Erat. *Sed nos ad seria.* Vinum *verò cupis exceptum* ubi servatur? Oen. *Abditur in cellas,*

cadis

cadis & dolijs super cantherios (*basellas*) *elevatis: tum relinitur, & promitur* siphunculo, *aut* epistomio, *interdum & elutriatur*: Erat. *At enim Vinum vino est sapidius?* Oen. *Nemo dubitat. Hornum enim feculentum est, annotinum defecatum; defrutum vocant* Sapam; *exoletum*, Vappam; *ex aqua & vinaccis factum*, Loram (*seu* poscam & acinaceum vinum.)
Erat. *Sed & generosius?* Oen. *Præstantiora & quib. vix hederâ opus est suspensâ vina sunt*, *Hungaricum*, Apianum, Malvaticum (*Arvisium*) Canarium, Alicanticũ &c. *sed* Absinthites, Helenites, *aliaq́ medicata, facticia vina sunt*; Hipocras, *omnium aromaticorum delicatissimum. Omnia autem, per antiquum illud* COS;
Vina probãtur Odore, Sapore, Colore.
Erat. Cerevisia *quâ tandem arte paratur?* Oen. *Hic audiendum, puto, vastũ*

istud

istud, Zythi receptaculum, Zythopæum. Erat. Zythi coctura, *Optimates requirit, tres robustos laboratores*, Lupularium, Polentarium, *meq́ ipsum* Cerevisiarium. Erat. *Quid te juvat* Lupularius? Zyth. *Ille lupuli* turiones *terræ indit liratim: tùm ad singulos cauliculos depangit* palos, *ut se his circũplicando sursum serpant: quorum flores, quum maturuerunt, abstringit, mox pavimento domûs superiori inspersum exsiccat, exsiccatũ prælongis ingerit saccis & in braxatorium devehit.* Erat. *Quid* Polentarius? Zyth. *Iste grana frumenti macerat aquâ, donec intumescant: tùm illa in pavimento assiccat, sæpiusq́ versat & reversat, usq́ dum dissiliendo, germina producere cœptent: atq́ tùm ea farrario fumario superstrata torret, inq́ dulciculã* bynen *convertit, & in polentario molendino in* polentam *permolit.* Erat. *Nihilne ampliùs.* Zyth. *Nihil.*

Ego

Ego tandem Cerevisiarius *lupulum polentæ permiscens excoquo in* Cerevisiã (*factu uno* 10, 20, 30, *cupas*): *quæ deportata in cellam defecatur: si verò acescat, aut mucescat, infunditur* ampullis *acetarijs*, & *fit* acetum. Erat. *Unde verò tibi iste in longum latumq; porrectus aqualicus?* Zyth. *Non ab aquis certè; sed ex succulentissimo polentæ, in prima digestæ coctura, haustu.* Erat. *Itane verò.* Zyth. *Ita omnino.* Erat. *Nec in fraudem impensas facientium.* Zyth. *Absit. Quantillum verò est, quod ex singulis mihi datur facturis vasculũ? quid mirum si reliquâ sit sapidius cerevisiâ? habent vinaceos prælibatores Principes, cur non Cerevisiarios Respublica?* Erat. *Audi, vir bone, hoc age, Respublica posthac tuâ pinguescat Cerevisia, secus lege Polonoru ubi sapida saluberrimaq; hauritur cerevisia, ad meliora revocabere consilia: quam si nescis, aqua-*

 liculi

liculi cluniumq́; tuorum disces periculo. Quid istud hominis adstat perfumigati? Oen. Destillator *est. Qui è Cerevesiæ aut Vini fecibus, vel etiam frumentaceo farre fermentato, prolicit, & per* vesicam destillatoriam *cuprinam, superimpositumq́;* alembicum, *exstillat aquam ardentem,* vinum Crematum *(sublimatum) dictam.* Erat. *In hunc igitur modum destillas* Crematobiba. Crem. *Ingeminum.* Erat. *Quemnā illum?* Crem. *Priorem dixit Oenopola, alter est arcanum Reipubl:* Erat. *Quod tamen Exarchos scire oportet.* Crem. *Si dicendum est, dicam: priori modo jam exstillatum Vinum, denuo in hunc instillatur alēbicū & ex qvo sensū cōmunē, sedem memoriæ ipsumq́; Phantasiā virtute permeans penetrabili; etiam Socraticam turbat Philosophiam; non malè, ut opinor, à Sarmata quodam dictum,* Lac infernale Crematum. Oen. *Sarmatis forsan aliter audit?* Crem. *Audit:* Gorzal-

ka. *Id nuper Germanus audiens seq́;* Gar ein Schalcken. *designari putans benè pugno depexuit Combibonē & unà mecū fugit* Oen. *Fuge etiamnum, Mephitim exhalās Gorzalkianam, furve furcifer.*

Actus II. Scena IV. Artes Vestiariæ.

Trium-Viri, Alamodista, Netrix, Pannifex, Sartor, Alutarius, Sutor.

ALam. *Amictu nobis ad tegendam nuditatem, & adversus tempestates, opus est: qui fuit antiquis simplex, dum velare caput à sole* Cucullo, *corpus ab algore* Braccâ, *pedes à via cœnosa aut scruposâ* Sculponeis, *vel* Carbatinis, & Peronibus, *acquiescebant: nostro ævo omnia aliûsmodi, nitidè, ad luxuriē usq́;, & habitu multiformi, segmentato, acupicto, plumato.* Cleant. *Heus Tu comptule, Nitidule, quid tecum declamitas?* Ala. *Vos vestrumq́; cōsessum quæro, Viri Illustres,* Variæ *professionem*

 facturus

facturus Vestituræ. Cleant. Leges *quippe accepturus* Sumptuarias. Ala. *Ad utrumq; paratus sum Domini gratiosi.* Cl. *Dic prius: Quodnam viris hoc seculo est capitis integumentum?* Ala. *Viri obvolvunt alicubi caput* Tiarâ, *alibi circumligant* Mitrâ, *alibi contegunt* Pileo, *spirâ & offendice ornato; aut umbellæ causâ* Petaso; *aut domi desidentes* Galero; *vel frigoris causâ* pileo pelliceo: Pileo *insuper è lana baculis coacta facta facit* Impilia *& exinde Pileos, & alia permadere nequeuntia.* Cl. *Quod fœminis?* Ala. *Fœminæ capillos variè pexos, plexos, in plegmata concinnatos,* tænijs *insuper, &* redimiculis, corollisque, *redimitos, colunt; aut prætegũt* Vittis & Reticulis, *vel involvunt* Calanticis, Ricis, Peplis. Cl. *Indumẽta quænam passim obtinent?* Ala. Indumenta Corporis (*ad induendum & exuendum*) *sunt* quadruplicia: *nudi corporis,*

poris, Indusium: Thoracis *qui cingulatenus pectori aptatus, & laciniis subornatus; aut thorace longior* Tunica, *crurúmtenus demissa, succingendaq́, si laxior & sinuosa fuerit: infra Cingulū* Subligaria *sunt, h. e. aut follicantes* Braccæ (*Caligæ*), *tibialibus fasciis substringendæ; aut arctiora* Femoralia, *crura simul munientia.* Amictus honestatis *ergo adinventus:* Toga *manicata, & sine manicis* Pallium, (*fœminis* Palla, & Amiculum.) Cl. *Pedes quib. muniuntur indumentis?* Al. *Pedibus calceandis parantur* Socci *molles, vel* Vdones *cilicii &* Sandalia (*Crepidæ suberæ*) & Calcei (*qui, si angustiores, inducuntur pedibus ope inductorii: partes verò Calcei sunt* Solea, Obstragulum, & Ansæ, *cum corrigiis; &* Ocreæ *cum cruralibus; mutatorii deniq́* Cothurni. Cl. Vestitus *qualis in se est & quotuplex?* Al. Sextuplex. *Lineus vel lane⁹*

 gosso-

goſſipinus *vel* ſericus, pelliceus *vel* coriaceus, *nec ullus parari poteſt ſine filis netis*: Cl. *Partes veſtitûs quibus inter ſe cohærent nexibus?* Al. *Connectuntur; ſeu ligulis adſtringendo* nodos (*nexus*); *ſeu infibulando* fibulis *uncinulos; ſeu innectendo alterius oræ* nodulos, *alterius oræ ocellis*. Cl. *Siquidem nulla veſtis absq; filis netis conficitur, unde tanta* filorum copia *veſtiarijs?* Ala. *Id Netrix explicaverit copioſius?* Cl. *Ubinam illa?* Ala. *Hic in proximo habitat*. Cl. *Vocetur*. Al. *Huc ades* Mutterandlia *artemq; profitere Netriciam*. Netr. *Faciam*. *Netricia à Lino & Cannabi incipit quæ ruri ſeruntur, matura evelluntur*, calycibus *deſtringuntur*, ſcapis *reſiduis in lacunis macerantur, rurſumq; torrentur*, malleis ſtuparijs *contunduntur*, frangibulo *conteruntur*, *ferreoq;* carmine *carminantur: ubi, quod inter frangendũ decidit*

cidit

cidit, cortices *ſunt: quod inter carminandum ſecernitur,* flocci, *&* ſtupa. Ala. *De floccis & ſtupâ quid tum ſit amplius?* Netr. *Tũ* Netrices *diſtribuẽtes ſibi linum factum, ſuperilligant penſa* Colo, *trahenteſq; ſiniſtrâ filatim, dextrâ torquent, ſive* Fuſum (*cui ad faciliùs ſe verſandum ponduſculum addit* Verticillum) *ſive* Girgillum: *unde fila ducuntur in* Alabrum, *& hinc in* Harpedonem, *è qua glomerantur* Glomi; *fitq;* Tela, *ad texendum idonea.* Ala. *Ex* tela *iſta* linea *qua ratione confit* linteum. Net. *Defertur ad* Textorem *qui dehinc circumvolvit jugo* ſtamen, *inſidenſq; officinæ deculcat alternatim* inſilia: *quô factô,* licia *ſe diducũt,* (*Nota: ad* Bilicem *duplicato, ad* Trilicem *triplicato, licio opus eſt*) *illeq; trajectat radium, cui panus ineſt: & ſic ſtamini* Tramam *intexit, adactoq;* pectine *linteum denſat* (*præſertim* Carbaſum:

ſum : *ſive fuerit vulgare, cannabinum vel ſtupeum; ſive byſſum, & ſindon*) *donec detextum ſit : decidente ſubinde* titivillitio. Ala. *Lintea quomodo cãdefiunt?* Net. *Hæc* Inſolator *inſolat, uſq; dum candeſiant.* Ala. *Ex linteo quænam parantur?* Net. Sartrix Interulas, Capitia, Collaria, Focalia, Muccinia, Strophia, *aliaq; linteamina, inde ſuit; quæ rursùm* Lotrix, *quoties ſordidantur, eluit.* Cl. *Commodè ſatis lini texturam expoſuit vetula; at quomodo conſit* Lanificium. Pan. *Eo nomine adſum, Exarchi Inclyti, id coram ut explicem.* Pannifex *lanam carminat, ſuperq; machina textoria* pãnos *contexit,* (Londinenſes, Pingves, Xylinos *&c.*) *qui ſi levidenſes ſint, mittuntur in fullonicam, ibiq; à* Fullone *in pilam injecti, & aquâ madefacti,* pilo *conſtipantur : hinc a. exemti extenduntur inter* Jugamenta *uncinulis ferreis,*

reis, ut exsiccescant: & *traduntur* Tonsori, *qui expansos in tostrina forfice tonsoriâ tondet*, & *complicat in Volumina.* Cl. Pannus bombycinus *annon conficitur paulo aliter?* Pann. *Similiter apud* Sericarium *texuntur panni* serici (*bombycini*) & holoserici, & subserici, & Attalici, Damasceni, Camelini, purpurei, scutulati, undulati, florulenti: Segmentarius *verò pannum sub tegmine aureo intertextum pertexit.* Cl. *Vestem ex panno quis parat?* Sart. Sartor *pannum*, *ad staturam corporis demensum*, forfice *perscindit*, *scissuras* filo duplato & cerato (*ope* acûs & digitalis) *consuit, extremitatibusq́; vestium*, *nè filamenta diffluant*, Limbum *circūsuit; aut* Lemniscos *præsuit; passimq́;* (*præsertim in* Fimbria,) Institas *obsuit: sed ubiq́;* suturas, *nè notabiliter exstent, ferramento pressorio complanat.* Cl. *At dum Pannum celeri*

percur-

percurris forfice, nihil ad te segmentorū invito redundat Domino. Sart. *Nihil, Optimi Proceres; Sartoris forpex talia non capit.* Ala. *At harpagatrix alienat dextera.* Sart. *Quid tu tibi vis.* Ala. *Ut malè sit tibi. Qui vestes tritas & defloccatas dissuisti, inversasq́; interpolasti mihi nuper & resuisti* Interpolator; *non aliter si ex recisamentis & panniculis sibi ipsi consarcinaret Mēdiculus.* Sar. *Agitur forum, præsto sunt* Primicerij, *ibi expedietur, si quid desideras.* Ala. *Optimè. Cornicum nempe configemus oculos. Antequam verò, quod debeo tibi solvo, fac,* Connodator *contorsione trium bacillorum ferreorum cōnodet è filis* Chirothecas, Tibialia, Subuculas *&c.* Pileo *autē è lana, baculis coactâ, faciat* impilia, *& exinde* Pileos, *& alia, permadere nequeuntia.* Sart. *Faciam sedulò. Sed &* Sutor *præsto est Proceres.* Cl. *Adsit.*

Tibine

Tibine nuper dictum, Ne ſutor ultra crepidam? Sut. *Mihi: Ita tamen, ut quævis idem ſibi dictum patet, arrogans temeritas.* Cl. *Sapis. Operæ ſatis feliciter procedunt tuæ?* Sut. *Mediocriter. Verſor enim inter Exuvias animalium, quas* Lixivio *macerantes*, & ſcalpro *raſorio depilantes*, Cerdones *ſunt: quorum* Coriarius *præparat coria duriora, (è quibus* Sutor *ope ſubulæ & fili picati, ſetâq; cuſpidati, & muſtricolæ, calceamina conficit*): Alutarius alutam *molliorem & criſpatam (ſubſecivas particellas cõficiendo glutino adhibens*): Pellio *autem è villioſis pellibus* pellicia rhenones, pileos pelliceos. &c. *Et ſi quid ampliùs vultis? appendix Sutoriæ etiam in rerum Natura datur, Calceamenta lacera reſarciens* Veteramentarius.

Actus III. Scena I. Artes Ædificatoriæ.

Trium-Viri, Architectus, Latomus.

ARat. *Primitus quidem habitabatur in* Specubus *Architecte*, & Tabernaculis *frondeis: postea construebantur* cæspititia Tuguriola, & *cratitia* Gurgustia, *luto circumlita: demùm ædificare cœperunt ad stabilitatem & magnificentiam*, Fabri: *quorum fabricas dum hinc inde perlustrat*, *Princeps*, *Arcem betulaceis istis peramœnisq́ imponere collibus*, & *te operarijs operisq́ præesse vult fabrilibus*. Arch. *Is sum, Proceres, qui ultro ac lubens operam optimo locavero Principi*. Arat. *Quid igitur primùm agendum putas?* Arch. *Ligna ædificijs apta, ut nè fiant teredinosa, cæduntur hibernô, Lunaq́ decrescente: ubi* Lignator, *Arborem securi sternit, ramos decacuminat, è*

[Trun-

Trunco tigna deformat: (ramalium segminibus dissectis, & in strues cõpositis, sarmentis verò collectis in fasces, & in usum foci reservatis.) *quod quidem ante omnia observatur dignum*. Arat. *Quid tùm demùm lignis ita præparatis occipiendum.* Arch. *Adhibendus erit* Faber lignarius *qui sibi tignum* ferreis ansis *super* cantherios *affigit: tùm illud amussi lineat*, asciâ *desciat & exasciat*, (*decidentibus assulis*): *interdum* runcinâ (*serrá majore*) *dissecat* (*scobe recidente*): *demũq́ copaginat parietes, tigna* clavis trabalibꝰ *cõfigit*, intertignia *musco explet.* Ar. Parietariꝰ *quid circa ædificia operæ cõfert?* Arch *Ille luto paleato, vel acerato, benè proculcato, casam delutat: quandoq́ sine lignis etiam, vel cratibus, lutamẽta effingens, è formaceis parietibus.* Arat. *At in* Cæmentitiâ ædificatione *aliter proceditur.* Arch. *Longè aliter. Quod*

ipsum

ipsum paulò prolixiùs quem adduxi ex-ponet Lapidarius. Lat. Latomus, *Proceres Inclyti è lapicidinis rutro eruit, aut vectibus effringit, lapides: quos* Lapicida *cœlo & tudite ad normam conquadrat, ut componendæ structuræ benè quadrent: sicubi a. saxorum copia non est, coqvuntur (ex intrita) lapides coctiles,* Lateres, *quadrangulari formâ.* Arat: Murarij & Tectores *tui sunt contribules.* Lat. *Sunt.* Faber murarius *posito è solidissimis saxis fundamento, superstruit illi parietes, primarios, medianos, intergerinos, cameratq; testudine conclavia: quæ* Tector (*Crustarius*) *tectorio trulissat* (*incrustat*), *& gypsato marmoratové dealbat, ac è rudere novo pavimenta ruderat; tùm pavit, aut tessellis consternit.* Arat. *Materies ædificio promovendo comportata, Fabriq; cum præsto sint, tuum erit director ædificij* Architecte *secundùm præcöceptum*

aut

aut etiã delineatum structuræ exemplar (Ideã *vocant* & *Modulum s. modellum*) *Principi exhibere, structionẽq; dirigere*. Arch. *Non novus ad id operis venio Magister. Scio probè quod* Domus, *profundè fundata, benè materiata, firmè trabeata vel murata, intùs* columnis (*nè laquear ruat*) *extra* pilis (*nè parietes vacillent*) *affabrè statuminatis, fulta perstat diu* sarta tecta: *aut si labat, suffulcitur denuò; collapsa verò, aut destructa, restauratur*. (N. *Columna* cõstat scapo uno, insistitque basi; *Pilæ* structiles sunt.) Arat. Domûs partes *quomodo concipis?* Arch. *Ita. In Vestibulo (ad anticam) constitutus, habes ante te ædium frontispicium, accedens ad* Ianuam, *utrinque erunt postes; & in altero quidem cardines, à quibus* Fores *pendent, & super quos aperiuntur & clauduntur: in altero verò* Claustra, *nempe aut* pessulus, *foramini postis in-*

den-

dendus, (*quæ simplicissima est occludendi ratio*) ; *aut affixus fori* Obex, *obdendus clavo uncinato, posti infixo* ; *aut denique* Sera, *sive* Laconica, *sive* pensilis. Lat. *Si oppesulatam reperio domū, quid agam?* Arch. *Pulsa. Si Janitor per* transennam, *aut* clathros, *prospectat, aperiri roga : dum introis, pedem attolle, nè ad* limen, *inferum impingas* ; *caput verò submitte, nè ad* superliminare *allidas* : & *nè* cardines *strideant, aut fores crepent, lentè move*. Lat. *Cum pertransivero* Ostiū, *quorsum veniam?* Arch. *In* Cavædium (*impluvium*), *aut mox in* Atrium : *unde in* Conclavia *cætera ingressio patet* ; *aut, si domus fuerit* distega, *vel* tristega, *in* contignationes *superiores ascensio, per* scalas, *vel* cochlidia : *per* posticum *exitur aliô*. Lat. *In loco subtegulaneo cui inambulo structuræ*. Arch. *Pavimento, sive id sit fistucatum, sive tabula-*

tum.

tum, sive testellatum: sed Laquear *nobis impendet, sive tabulatum* (*& fortè segmentatum*) *sive fornicatum* (*testudinatum fuerit.*) Lat. Tectum *quali superponitur basi, s. sustentaculo?* Arch. *Columini. Quod est vel* Compluviatum *in unam tantum partem devexum; vel* displuviatum (*pectinatum*) *in duas; vel* testudinatum, *in quatuor: tegitur a. vel* cespite, *vel culmine, vel* scandulis, *vel* imbricibus, (*tegulis figlinis*); *quæ omnia imponuntur* Tigillis, *tigilla* Cantherijs; *horum a. divaricata crura incumbunt* Transtris, *transtra rursùm incubant trabium* Proceribus: *qui, si progeruntur longiùs, faciunt* Suggrundia *ampla; præsertim in projecturis &* circũcolumnijs, *ad deãbulationes pẽsiles in* Podio; *vel saltem in* Mæniano. Arat. *Ornatura Arcem quænam habentur ædificia?* Arch. *Tentavit humana industria etiam in abdito substruere,*

Cryptoporticus; & *in aërem* Cænacula ſubdiaria & Turres *cum faſtigÿs prææltis*; *ſtupendæq́ molis* Pyramides, Obeliſcos, Coloſſos: & *ædificia perplexa*, Labyrinthos: & *ædificia ambulatoria* Pegmata &c.

ACTUS III. SCENA II. Artes Utenſilium: Argillaceorũ, Vitreorum, Metallicorum Lineorum, Ligneorum, Coriaceorum.

Trium-Viri, Icodeſpotes, Minerius, Vegetius, Corioſeca.

ICod. *Arci, quam exædificari curat Illuſtriſſimus, maturè de* Vtenſilib⁹, *quæ Domos implent proſpiciendum rat⁹, in conſeſſu veſtro me ſiſto, Proceres, ut neceſſariæ rebus parandis ex Fiſco Principis ſuppeditentur impenſæ.* Erat. *Benè mones, Icodeſpotes, nos faciendo nõ deerimus ſumptui, modò præſto ſit, non tantùm quib. humana carere non poteſt vita,*

vita, sed & quæ cũ dignitate paria faciãt Principis. Ic. *Parabuntur omnia.* Er. *Sed unde tàm subitò.* Icod. *Jam habetur in promptu triplex de* triplici Regno Naturæ, Mineralis, Vegetabilis, & Animalis Materia. Erat. *Etiam cum Artificibus jam transactum de precio.* Icod. *Per omnia. Tu, Mineri, præfecturæ Tuæ, Artifices enumera.* Min. *Inspectioni fideiq; tuæ cõmissi sunt* varia Minerali Regno *producentes* Vtensilia. Erat. *Quinam illi.* Min. Figulus *ex argilla benè præparata fingit* (*Rotæ figulinæ circumactione*) Ollas, *aliaq; figlina; quæ ficta in furno excoquit, &* lithargyro *incrustat: testas tamen solidare nescit.* Icod. *Fenestris apta unde petitur materia.* Min. Vitrarius *format* (*in vitriaria officina perflatu ferrei tubi*) *ex arena, cinere, sale, intensissimo igne liquatis,* Vitreamina: *è quibus* Fenestrarius (*coordinando specula-*

ria vitra inter jugamenta, & applumbando ferrumine ferreo, nè excidant) Fenestras *facit*; Laternarius *verò* laternas, *ubi pro inserenda & eximenda lucerna ostiolium relinquitur.* Icod. *Satis interim auri argentiq́ de terræ eruitur speluncis, ut sumptibus sit satis?* Min. *Perquam satis. Nam* Metallarius *scrutatur latentes mineras, ope* Virgulæ divinæ; *tū ad eas parat aditionē ope* Fossorum *(metallicorum), qui (intecti bardocullo caput, & perizomate nates) ingrediuntur fodinas cū succensa lucerna, repertâq́ metallicâ venâ, & impactis illi cuneis, decutiunt frusta, extrahuntq́ forâs. Hîc* Discretor *saxeas impuritates secernit; secreta* Lotor *elavat; alij ista in* Vstrina *colliquefaciunt, profluitq́ Metallum à scorijs liberatum & quia plerunq́ Auro intermixtum adhuc est Argentum, separantur illa ab invicem* Aquâ forti, *demumq́ seorsim unumquodq́ purumputum conflatur in*

tabellas, vel bacillos. Hic *jam* Fabri follibus *ignem inflando, metalla emolliunt; mollita* forcipibus *eximunt; exempta* malleis *super* incude *cudunt,* (*dissilientibus quaquâversùm* stricturis); *cusa deniq; laminãdo, cuspidãdo, variaq; figurãdo, & ubi opus ferruminãdo,* Utẽnlia *cõfici unt.* Monetarius *cudit* (*in officina monetaria*) *nummos; sed* Falsarius *percutit reprobos, admutilat probos:* Alchymista *v. è sequioribus metallis aurum, arte laboratum, factitare enixè conatur.* Icod. *Etiamne de ferri bracteis necessaria parantur instrumenta?* Min. *Parantur Æthnâ multis æstuante ignibus.* Faber ferrarius *fabricat varia ferramenta;* Claustrarius, *claustra & claves &c;* Serrarius, *serras;* Falçarius, *falces;* Cultrarius *cultros* (*quorum aciem* Samiator *samiat*); Acicularius, *acus;* Bracteator, *thoraces chalybeos & loricas è ferreis annulis contextas, &c.*

Gla-

Gladiarius, *gladios*; *quos* Polio *polit*, *capulis instruit, vaginis superintegit*. Icod. Ex *ære, Cupro, stanno, multa parantur vasa*? Min. *Plurima*. Faber ærarius *è ductitio Cupro cudit*, *& tiligneo marculo lævigat, æramenta; quæ detrita vicatim discurrētes* Ahenarij *reficiunt*: Flator æris, *ex Orichalco fundit Statuas*, *& Campanas*, *pistillo ferreo pulsatiles*, *& Tormenta*, *&c*: *sicut* & Stannarius *stannea vasa*; *quæ ut niteant, fricaturâ depoliuntur*. Laminarius *è Laminis lampades*, *&c*. Bracteарius *è bracteolis tinnabula* (*nolas*); Aurifaber *vasa aurea & aurata* (*deaurata*); *argentea & argentata* (*deargentata*); *tùm armillas*, *torques &c*, *conficit*: *scobem & ramenta* (*quibus intertrimenta compensari possunt*) *è præcinctorio mensæ alligato colligens*. Icod. *Ita habent è minera Utensilia*: Ex Vegetabilibus *quæ parentur dicet, si placet*;

cet, Vegetius? Erat. *Placet.* Veg. Restio *contorquet è cannabi, stupa, sparto, arborum libris (qui dum virent glubuntur (* restes, funes, funiculosque; Viminarius *sirpat è viminibus (quandoque decorticatis & exalburnatis (* corbes; Cribrarius *facit ex assulis flexilibus, rotundatisq;*, cribra; capsas *item*, *rotundas vel ovales, &c.* Doliarius (*Vietor*) *conficit doliaria vasa, circumvinciens secamenta circulis vimineis: sive fundo uno, ut sunt* Labra & Lacus; *sive bino, ut* Dolia, *habentia foramen desuper, pro infusione liquoris; & deorsum, pro emissione : illud occluditur operculo, hoc obturamento, aut siphone.* Scriniarius (*Arcularius*) *edolans asseres runcinâ, & deplanans planulâ, adunansque impagibus & subscudibus, & circumscalpens scalpro exstantias, conglutinansq́; glutine, & oblinens vernice, parat varia opera tabulata, quan-*

doq́ue & *vermiculata*; Tornator *verò tornatilia*, &c. Erat. *Sufficiunt ista.* Icod: *Tu quoq́ue* Corioseca *quæ* ex Animalib. *parentur*, *Proceres*, *edoce*. Cor. *E Corio utensilia parant*, Frenarius, Ephippiarius, Marsupiarius, & *qui ligulas capitellis præmuniunt*, &c. *His accedunt*, Saponarius *qui coquit è sebo saponem*, *sebatq́ue candelas*: Cerarius *è cera fundit faculas cereas*, *trahensq́ue lychnos longissimos*, *funiculorum instar*, *circumvolvit lychnucho*. Pectinarius *conficit pro pectendis crinibus* Pectines (*corneos*, *eburneos*, *ligneos*), *raris* & *densis radijs distinctos*; *pro comendis a. comis* Pectines setaceos: *sed* Scopularius *concinnat pro vestibus purgandis* (*è setis*, *scapo ligneo agglutinatis*) Setacea & Verricula.

ACTUS III. SCENA III. Artes Itinerum Pedestris, Equitationes, Aurigationes.

Trium

Trium-Viri, Icodespotes, Cosmopolita, Hypparchus, Auriga.

COsm. *Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor. In uno enim loco non semper hærere possumus*, transire *quoquô opus est quòd si prope sit. & animi gratiâ*, Deambulatio *est; si per căpos aliquid conquirendo*, Peragratio; *si propter peritiam regionum*, Peregrinatio; *si ad habitandum alibi*, Migratio; *ubiq́ autem, si quid nobiscum assumimus manu, dicimur* Transferre; *si humeris*, Portare; *si vehiculis*, vectare; *si comitatu*, Ductare. Icod. *Heus, bone Vir! Quò ipsismet nobis devenire non libet, aut licet, quid tum agimus?* Cosm. Mittimus *alios: si ut aliquid nuncient*, Nuncios; *si, ut nunciatricem epistolam deferant*, Tabellarios; *si, ut negotium expediant*, Curatores. Icod. *Dædalum ego te credam an quempiam terras pervolitantem & maria.* Cosm.

Nihil

Nihil horum. Homines Transmeamus *terrâ vel aquâ* : (*pervolitare aëra nondum didicimus* : *nam narratio de volatura Dædali, fabella est* : *per terram* vadim⁹, *aut* gestamur, *aut* vehimur: *per aquam* vadamus, *aut* natamus, *aut* navigamus. Ic. *Quicquid sit at ille ipse Es qui longa potest dispendia ferre viarum*. Cosm. *Cur non*? Ico. *Si locare operam Principi libeat meo, à pedibus constituêre unus*; *vel ab Itinerationibus*. Cosm. *Utrum libet*. Icod. Viatori *quib. est opus*? Cosm. *Pedibus ituro* Viatori *expedit esse ocreato, aut peronato, nè collutuletur*; & *lacernato* (*penulâ induto*) *nè compluatur* : & *quia non omnia sua gestare potest in* sinu, *vel* gremio, *aut* fundâ (*assutis loculis*) *circumcingit sibi* Sacciperium, *aut imponit humeris* sarcinam; & *in manum sumit* Baculum, *quo se suffulciat*; *vel saltem decoris causâ* Scipionem. *Ingressus* viam,

am, *rectà sine ambagibus proficiscatur, quô tendit, ad* diverticula *ne divertat, aut deflectat; nec* semitæ causâ deserat viã regiã (*nisi tritus sit* Gallis, *& itineris dux, comesvé, fidus ac peritus*): *nè per* tramites *in devia*, aut salebras & *aspreta, deveniat*. Ic. *Biviũ aut triviũ si occurrat?* Cosm. Bivium & trivium *semper fallax est* (compita *non æquè seducunt*): *ergò nè fiat errabundus, sciscitetur obvios, quâ eundum? & quorsum flectendum? utrum dextrorsùs an lævorsùs?* Icod. *Quidsi quid remoræ objiciatur?* Cosm. Offendicula, *nè sint remoræ, devitet;* clivos *altiores* (*qui cacumen versùs euntibus acclives sunt, retrorsùs declives*), *nè perambulet; & ubi porrò meare nequit, retrocedat*, fossas *si transilire* (*nè quidem conti adminiculo*) *potest, circumeat: sic ibit inoffensè.* Icod. *Istis viatori opus est, quibus verò peregrinaturo?* Cosm.

Ad

Ad exteros peregrinaturo opus est viatico, *propter impensas ; (aut certè literis* cambij, *ab aliquo* Collybista) ; *quandoq́; & interprete, si gentis idioma non calleat. & itinerario bono ; maximè a. prudentiâ, ut ubiubi fuerit, quôcumque sit, attendat, à discessu usq́; in reditum.* Icod. *Itinera post exauctoratum in Imperio militem tutò conficiuntur ?* Cosm. *Non admodum.* Prædones *siquidem spoliant*, Piratæ *abducũt*, Latrones *trucîdant : sed & in diversorijs, ubi pernoctandum est, sæpè* hospes *ab* hospite *intutus est, ob* cauponum *quorundam improbitatem.* Icod. *Placet industria. Loquar de te, quã primum adiero Principem.* Cosm. *Ut lubet.* Icod. *Ille abijt. Fuerit Principi à pedibus : at cum parcendum est pedibus viribusq́; Jumentis utendum erit aut vehiculis, Proceres, in avehendis rebus vel advehendis.* Cleant. *Non abs re loqveris.*

Non

Non pauca de talibus nuper apud me Hipparchus. Icod, *Præsto est, dicat jam eadem vel similia.* Cleant. *Dic Hipparche.* Hipp. *Equitaturus, soleas affigi curat equo; insternit illi* Ephippiū, *&* (*nè devolvatur*) *subcingit* cingulâ: *ephippioq; præligat anterius* Bulgam, *vel adalligat retrò* Vidulum, *vel appendit* Bilaccium; *mox circumdat capiti* frenum: Antilena, Postilena, Dorsuale, *cæteræq;* phaleræ *si adduntur, ornamento sunt. Tum infulciens pedem* stapedi, *insilit in equum: illiq; jã insidiens, & abequitare cupiens,* Galcaribus *eum ad procursum exstimulat,* Habenis *v. pro libitu flectit, aut pro necessitate retinet ac reprimit: sed* Gradarius *Equitem fert molliter,* Tolutarius *tolutim & subsultim,* Succussator *quassat,* Cæspitator *illi incōmodat.* Icod. *Ita tu quidem sive tollutim badizes, sive subsultim; annon & oneribus transportandis*

utile

utile tibi succurrit consilium. Hipp. *Nemo infra sortem sapere amat suam; ab Auriga, qui adstat melius id petetur consilij.* Icod. *Dic igitur, quid in arte possis tua, Hippotriba?* Aur. *Quid dicam?* Vehicula *jumentis trahenda sunt varia: quorum quod raptatur tantùm (præsertim per nivalem viam)* Traha *dicitur; quod volutatur super rotas,* Curriculum: *sive unitorum*, Pabo; *sive birotum*, Carrus; *sive quadrirote* Currus. Icod. *Currûs partes quot sunt?* Aur. *Quatuor.* Temo, *antrorsum prominens;* Iugamenta, *compagē continentia;* Axes, *rotas transeuntes;* Rotæ, *quarum quæque constat ex* modiolo, radijs *duodecim*, absidibus *(curvaturis)* *sex, totidemque ferreis* canthis. Icod. *Quàm variè perficitur* Aurigatio? Aur. *Admodùm variè. Ampliora onera vectantur* Plaustro; *rudiora*, Sarraco; *homines ipsi*, Rhedâ:

dâ: *quæ levior*, Essedum *est*; *dimidiata*, cisium; *coassatione perta*, Arcera; *pensilis*, Carpentum; *delicato insuper opertorio*, Pilentum. Icod. *Oneratis merce curribus quid confert Auriga?* Aur. Auriga *equos parans aurigationi, avenam* vanno *ventilat*, *evannatamq́;* (*cum* desecto stramento) *alligatis ad præsepe capistro*, *& interseptis per longurios*, *obsipat*, *saturatis demùm*, strigilique *perpurgatis*, *indit* Oream; *atq́; si quis mordax est*, *ora cōnstringit* postomide (*fiscinâ*). Icod. *Ut currus levius currat*, *quomodo juvatur?* Aur. Vector *axes ungit* axungiâ; *interq́; aurigandum respectat*, *nè exorbitet*: *in cœno si hærescit*, *nè diu hæreat*, *& retardetur*, *plures* (*equos*) *subjungit*; *in præcipiti descensu contrà*, *nè velociter ruat*, *& currum evertat*, sufflamine sufflaminat Rotas; *vel etiam equos abjungit*. Icod. *Inter angustias viarum*

rum & præcipitia quâ ratione urgetur iter? Aur. *Ubi transitus non datur Vehiculis, per loca prærupta & invia, adhibentur* clitellaria (*sarcinaria*) jumenta, *inprimis tardi, ad inequitandum inepti*, Caballi: *quibus impositæ* Clitellæ *sustinent onera, gausapibus cooperta. Sed & in plano, cui celerare opus*, Veredis (*Celetibus*) *potiùs utitur, (sed hic intertriginem cave) quàm* Vehiculis meritoriis: *atq; ut sit expeditior, non aggravat se impedimentis, quæ festinos tardant.*

Actus III. Scena IV. Natatio & Navigatio.

Trium-Viri. Icodespotes, Scaphius Liburnus.

ICod. *Materierũ promovendo Principis ædificio congestum est quantum satis, Artificum non exigua manus, intus atq; extus perpoliet omnia: Lacus arci ad-*

adjacens in quos usus sit adhibendus, id verò quæritur, Proceres? Arat. *Id Nautæ apprimè noverint?* Icod. *Obstare identidem Viantib.* flumina, lacus maria, *memini, superandaq́; omnino esse si quis velit ulterius, sive* Pōte *aut* Pōticulo *lapideo vel sublicio, sive aliter.* Arat. *Neminem Nauticæ nosti peritum hac in vicina.* Icod. *Utcunq́; qui ab Urbe redit, rē novit,* Scaphius. Scaph. *Innatare aquis super scirpeam ratem, arboreumq́;* corticem *discunt Pueri: tùm* sine cortice, manuum pedumq́ue jactatu; *sunt & nonnulli, qui* aquam calcare *sciunt, ut sine madefactione vestium (quas supra caput tenent, pectoribus tenus mersi tranare queant:* Vrinatores *v. sub aqua (piscium instar) natant: Ergò si flumen propter brevitatem vadari potest, transitur; sin, trāsnatur.* Icod. *Heus Scaphi, adesdum paucis te volo. Quid tu tecum medita-*

G

bun-

bundus. Scaph. *Venit mihi in mentem ut prisci illi homines, adorsi sint* Rates *struere: ex compactis obiter, solutilibusque rursùm, tignis: tùm* Lintres, *ex unico excavato ligno: tandem compactiles ad firmitudinem* Naves; *quæ habent* proram & puppim, carinam & stegam (*foros*), *cum gemino* latere; *quorũ intercapedo* alveus navis *dicitur.* Icod. *At Naviculæ quænam illis fuêre & quæ etiamnum sunt?* Scaph. *Minores naviculæ sunt;* Cimba, Lembus, Oria, *piscationi subservientia: tùm* Ponto, *quò flumina traÿciuntur, ad trajectum,* (*sed* Portitori *solvitur portoriũ*): *major* Navis, *vel onera vehit,* & Oneraria (Geraria, Gestoria,) *dicitur; vel homines,* Vectoria; *qua, si cubiculata est,* Phaselum *vocant; celeritati destinatam,* Celocem (*Liburnicã*). Ic. *Majoribus navigÿs etiamne utebantur?* Sca. *Id dixerit me peritior* Liburnus. Lib. *Navigia*

vigia propellere nescibant olim aliter, *quàm* Remulco, *aut* Contis, *aut* Remis, *construebanturq́ naves* Actuariæ, biremes, triremes, quadriremes, &c. *quas impellebant* (*ad scalmos*, *per interscalmia*, *transtris considentes*, & *remigãtes*) Remiges; *dirigebant v.* Proreta *ad proram*, & Gubernator *ad puppim*, clavum *tenentes*. Icod. *Ventorum igitur nullo utebantur adminiculo?* Lib. *Tandem adverterunt* Ventos jugari posse: *quibus captivandis excogitárunt* Vela, & *velis dispandendis* Malos, Antennas, Versorias (*Rudentes*); *ventiq́ indicem* Tritonem; & *plagarum Mundi monstratorẽ*, Compassum nauticum, *cujus indicatione per tenebras etiam navigare*, *Oceanumq́ ipsum enavigare*, *possunt*. Ergo *Vento adspirante velificant*: & *quidem* Vento secundo, *passis plenisq́ velis*; Vento adverso, *obliquant vela* & *cursum*, *al-*

natim; Vento nullo (*cùm malacia est, seu tranquillum salum*) *velificatio non procedit*. Icod. Procellâ obortâ *quid agunt Nautæ?* Lib. Procellâ oborta, *ne abripiantur à fluctibus, aut impellantur ad scopulos, allisaque Navis demergatur*, Nautæ *contrahunt ac demittunt vela, (etiam recîdunt, instante discrimine)* & *sic tutiùs jactantur: si nihilominùs* Naufragium *videtur imminere, faciunt jacturam rerum, tametsi preciosarũ, non sine miserabili naufragantium lamento.* Icod. Brevia *quá evitant ratione?* Lib. *Ne in brevia incidant, explorant profunditatem æquoris* bolide, *cauteque* Cautes & Syrtes *prænavigant.* Icod. *Utra Navis tutiꝰ aquis innatat Vacua an Onerata?* Lib. *Quia* Navis onerata *firmiùs innat, navigaturi vacuá, saburrant eam* (*nõ tamen nimio plus, nẽ pessum eat*): & *quia quaqu î tãdẽ fatiscens* (*per fissuras*, & *assamẽtorum cõmissuras*) *transmittit*

nautea *in* sentinā *cōfluentē, eā inde* Antliâ *exantlant*. Ic. *Navigatione peractâ quid agitur amplius?* Lib. *Navigatione peractâ*, Nauclero *naulū exsolvitur*, & *quisq; domū festinat: quē sui vidētes inco lumen, sospites ipsi, avere jubēt (Aue illi* dicūt). *Navis ipsa, detracto* aplustri, *deducitur in* Portū; *aut si loc⁹ est importuosus, linquitur in* Statione, *super* anchoris *stans*, & *sic fluctuans: rimosa v. subducitur in ipsum* Navale, *ut à* Naupegis *reconcinnetur*. Ic. *Talia nosse Principem, quanti erit?* Arat. *Maximi.*

ACTUS III. SCENA V. Machinæ tractatoriæ.

Triū-Viri Icodesp, Tolleni⁹, Automari⁹

CL. *Quinā isti variis instructi machinis Cōsessum prætereunt nostrū.* Icod. *Vel adminicularios esse oportet Artificum; vel dividundis dierum partib. à me vocatos diribitores. Sed heus tu, quisquis es, quod tibi nomen est?*

Toll.

Toll. *Mihi nomen est Tollenio. Cum enim necesse habeamus transportare, non tantùm nosmet ipsos, sed & alia, multarumq́ rerum moles excedat corporis nostri vires, quæsita sunt juvamina à* Machinis: Icod. *Quibus illis?* Toll *Quibus instructos vides. Quantum enim* Bajuli *duo, palangis ferre possunt, potest unus, si onus* Paboni *impositum, ante se trudat, suspensâ à collo ærumnulâ: sed longè majora provolvi possunt* phalangis. Icod. *Levandis de terra ponderib. quid machinæ admoves?* Toll. *Dum* Vectarius *sustollendæ rei* Vectem *subcuneans, illi incumbit; aut* Succulam *suppingens, versat; aut ductarios funes, orbiculis* Trochleæ *interplicatos, protrahit; aut* Ergatam *Vectibus circumversat; aut* Tympano *inambulans* Geranium *rotat, mira præstantur.* Icod. *At si quid comprimendum sit?* Toll. *Validæ compressioni serviunt omnis generis* Pressoria: *quorum omnium hæc est*

ratio, quòd Prela *duo rem violentissimè pressare adiguntur: à* Torculari, *circa* Cochleam (*spiratim striatam*) *versabili, viq; retorto: qui rursùm findere aliquid vult,* Cuneum tudite *adigens dissilire cogit.* *Ad pangendum* sublices *adhibentur* Fistucæ; *sive ansatæ, manibus humanis attollendæ & demittendæ, sive extollendæ trochleis, ut fortius feriant.* Icod. *Tu vero quid novæ artis sub ala sinistri occultas pallij.* Aut. *Artificiosi isti* Aquæductus *cogunt aquam per Canales in quamvis altitudinem ascendere;* Archimedea *v.* cochlea *aquam descendendo ascendere facit: sed* Aquagia *campos inundatos exsiccant.* Icod. *Et istud instrumenti quid est?* Aut. *Dimetiendis horis reperta sunt* Horologia: *primùm* solaria (Sciotericа), *ubi* Gnomonis *umbra lineas horarias transmeãdo; tùm* aquaria (Clepsydræ), *ubi aqua de vase in-*

vas transstillando; *mox* arenaria (Clepsammia), *ubi arena itidem furtim transfluendo, præterlabentis temporis moram ostendunt. Admirere verò inventum* Automati! *In quo rotulæ seipsas, libramentis suis, motant, eaque circulatione horarum replicationem (fortè & dierum, mensium, totiusque Planetarij cursus) repræsentant. Perscrutantur etiam, quomodo machina verè automata, suomet ultroneo tractu indesinenter procedens, nec intendi opus habens, confabrefieri possit* (Perpetuum mobile *nuncupant*): *quod an inventu possibile sit, ambigitur.*

Actus IV. Scena I. Artes Oblectatoriæ.

Icodespotes, Aularchus, Despotikyrius.

ICod. *Quam durus variusque sub sole mortales exerceat labor non uno didi-*

ci ex

ci experimento. Aul. *Unde solito tristior, Oeconome, & oracula, nescio quæ, ruminans?* Icod. *Horrida curarum tempestas obruit Aulas?* Aul. *Nihilne, quod delectet, habet?* Icod. *Me, quidem, non video.* Aul. *Mihi verò Artificum, suppetunt, merè Lautitiei nova & Sensuum oblectamentis servientia, reperta.* Icod. *In tam splendida miseria, etiam Lauticies?* Aul. *Quidni? Limpidâ enim se identidem mundare,* munditiei, *est; fuco fucare,* lenocinij: *repertaq́ sunt* Balnea, *ubi squalores deluimus desidentes in* Labro; *aut* Vaporarium *ingressi, conscendimus* Sudatorium, *& elicimus sudorem, strigmentaq́ defricamus* cilicio; *& extergimus* linteis: *transeundoq́ è* Caldario, *vel* Tepidario, *in* Frigidarium, *& vicissim, delectationibus indulgemus.* Icod. *Sed nihilnè præterea delitiarum?* Aut. Balneator, *quandoq́ scarificat, affi-*

affixis (auxiliatu flammæ) Cucurbitulis: *sæpè & barbas comasq; adornat (quod idem* Barbitonsor *facit), dum dispłicatum capillitium partim* forpice *attondet, partim* novaculâ *detondet, partim* Volsellis *evellit; relinquens à fronte dependulam* Capronam, *aut erectam sursùm* Cristam, Cincinnos *verò* calamistro *crispans. (Adscititia sutilium capillamentorum* Cæsaries, Caliendrum *(Galericulum) dicitur, oculorum impostura).* Icod. *Audio. Sensuum si placet, me quoq; edoce oblectamenta?* Aul. *Faciam. Ea pro numero quinq; externorum sensuum sic habe. Ut nos* res tactiles *in cubatu leniter afficiant, inventi sunt* Lectuli, & Storeæ; Pulvinaria *plumea,* & Cervicalia, *quibus supercubamus (munditer si lodices candidæ super insternuntur): tùm* Stragula *ac* Tegetes, *quibus nos supertegimus:* Conopéa *deniq;, quibus lectulos*

ctulos circumsepimus, ne quid obturbet. Icod. *Ita tactu molliusculè afficimur?* Aul. *Non aliter. Pro* commodiore *insuper* sessitatione *sunt* Scamna *&* Sellæ, *cum fulcris ac scabellis; &* Bisellia, *fulcro ambifariam versabili; tùm* Culcitræ, *tomento sartæ: olimq; ad mēsam* lecti discubitorij, *&* pulvilli subalares: *pro gestatione deniq;* Lecticæ, *& aliæ* gestatoriæ sellæ, *quibus aut morbidi, aut voluptarij circumgestantur.* Icod. *Sunt fortassis suæ delitiæ etiam* Gustui? Aul. Gustatui *dant blādimenta* Cupediæ, *qvas* Cupedinarij *parant: ut sunt variorum generum*, Placentæ, Liba, Lagana, Moreta, Obelij, Taganitæ, Scriblitæ, Crustulæ, Panis saccharites (*in Clibano coctus*): Libaque piperata, *quæ* Dulciarius *facit.* Icod. Odoratui *quid convenit maximè?* Aul. Odoramenta, Smegmata, Suffumigia, *voluptuosis paritat*

tat Vnguentarius; *quibus illi delibuti fragrant.* Icod. Auditui *quænam debetur oblectatio?* Desp. *Id ego optimè scivero.* Aurium delinimentum *est à modulatione Vocis; seu* vivæ (*de quo infrà, inter Artes liberales*) *seu* organorum Musicorum: *quæ vel pulsantur, vel plectuntur vel inflātur. Pulsantur:* Tympanū, Cāpana Tintinnabulū, Cymbalū, Crepitacula, *quæcunq́*; *itemq́* Crēbalum, *quod inter sertum dentibus, adhalatu gutturis, allisuq́ digiti, tintinnat. Plectuntur organa, quæ* Fidibus intenduntur *ac* remittuntur (*intensæq́ acutùm sonant; laxæ, graviter*) *idq́ vel digitis* (*seu utriusq́ manûs, ut* Nablium *&* Sambuca; *seu alterius, alterâ chordas moderante, ut* Testudo *&* Cithara; *vel plectro, eoq́ aut setaceo, ut* Fides; *aut rotatili, ut* Lyra; *aut prosiliente pinnulâ,* Instrumentum. *Inflantur verò quædam ore, ut*

Fistu-

Fiſtula, *à Fiſtulatore;* Tibia, *à Tibicine;* Tuba, *à Tubicine;* Lituus, *à Liticine;* Buccina, *à Buccinatore;* Gingras, *à Gingritore;* Tibia utricularis, *ab Utriculario: quædam follibus, ut* Organon pneuſticum, *ab Organario pulſatum*. Icod. Viſus *verò quib. ſuaviter afficitur?* Deſp. Oculorum oblectamina, *ſunt rerum viſibilium aut repræſentationes ad vivum, aut transformationes ad placitum: ſive in plano,* Picturâ; *ſive in materia ſolida molliori,* Fictura: *aut duriori,* Sculpturâ, Cælaturâ, Fuſurâ: *ſive denique per ſpecula,* Speculariâ. Icod. *In* Picturâ *quomodo?* Diſp. Pictor *delineat graphio, & perpingit penicillo ac pigmẽtis, cujusvis rei effigiem: quem imitantur quodammodo* Illuminatores *crepundiorum:* Encauſtæ *item, expingentes Vitra igni, &* Phrygiones (Acupictores, Plumarij) *verſicoloribus filis (quandoque & Unionibus ac gemmis) acupingentes, variasque*

figuras Vestibus intexentes: maximè autem Chalcographi subtilissimas imagunculas æri incidentes, chartisq́ imprimentes. Icod. *In* Fictura, Sculptura, Cælatura, *quàm diversimode?* Desp. Fictor (*Plastes*) *confecto* (*vel ex argilla*) *certæ formaturæ modulo, infundit ceram, vel gypsum, vel metallum, eoq́ modo pereleganter desingit* fusiles imagines: *sed* Sculptor *liberâ manu* Statuas, (*sive pusillas, sive colosseas*), *exsculpit:* Cælator *a. quas vult species insculpit materiæ; sive opere scalpturato, per eminentiam; sive incavato, per abscendentiam, quomodo in cælandis* Sigillis *proceditur.* Icod. *In* Specularia *quæ parantur?* Desp. Specularius *parat è vitris* Specula, *quib⁹ homines seipsos speculentur: &* Cōspicialia, *quibus res acrius perspectent: &* Telescopia, *quibus pulvisculos ut montes obtueantur: &* Prismata, *rerū colo-*

colores milleformiter transfigurantia: & Specula urentia, &c. &c. Icod. *Optimum quodnam dixeris Speculum?* Desp. Speculum optimum *illud erit quod objectas species eâdem qualitate & quantitate reddit quod sit, cùm benè perpolitum est, & prorsùm planum, neq; convacum, neque convexum: hoc etenim rem ostendit minorem quàm est, illud inversam.* Icod. *Redit ad se animus mordacibus tantisper ereptus curis.* Des. *Sic curas partire, ut vita par ferendis sit laboribus. Viden' verò istud togatum hominum genus?* Icod. *Video. In campū nostri animi gratiâ prodire videntur Ludi-magistri.* Desp. *Abeamus.* Icod. *Sanè.*

Actus IV. Scena II. Artes culturæ humanæ.

Philonius, Vanellus Magistri: Tyro Spudæus, Curio, Desiderius.

Phil.

PHil. *Lustravimus manuarias (rurales & mechanicas) artes, quibus res exanimæ ad utilitatem, vitæque nostræ honestamenta, elaborantur: quia v. ipsa quoque humana natura sine politura brutescit, (hinc incultæ gẽtes barbaræ sunt) expoliendique necessariò sumus*, Mente ad Sapientiam, Lingvâ Eloquentiã, Animo ad Honestatem; Van. O *quam* desiderabile est, sic excultum vivere! *habere nimirùm* Mentem illuminatam, *rebus depictam: & posse in aliorum rursùm mentibus easdem* depingere Sermone! & habere Actiones passionesque suas in potestate sua! (*Angelica hæc est perfectio, considerata in plenitudine sua!*) Phil. *Si participare hanc felicitatem vis, tu adolescentule, adesto! sed ut tria illa tibi exoptes solida, nõ fucata: cupiens evadere non sciolus, sed sciens; non locutulejus, sed eloquens; non simulatus Virtutum cultor, sed serius.* Curio. *Præsto sum.*

Quibus verò opus est ad culturam animi adminiculis? Phil. *Culturæ hujus instrumenta quia sunt* Libri, Scholæ, Cõversatio erudita, *hujusq; causâ susceptæ* Peregrinationes: *narrationem de istis audi singulatim, commonstrabo quid & quomodo ibi fiat; ut gustum habeas omnium* scibilium.

Actus IV. Scena III. Literæ, Libri.

Typographia, Bibliotheca.

Personæ, eædem.

CVr. *Pareo, Præceptor, & quis Modus* Scripturæ *literarumq; olim fuerit vel jam sit discere aveo.* Phil. Scripturæ *modus fuit apud Ægyptios per* notas hieroglyphicas *figuras rerũ pictas); apud Chinenses per* Characteres reales (*quos etiam diversæ nationes intelligunt, & suâ quisq; Linguâ legit*): *apud nos in usu sunt* LITERÆ, *mi-*

nimorum oris sonorum notulæ, è quibus complicatis fiunt Verba, Sententiæ, Libri. Curio. *Scribendarum verò Literarum quænam antiqvitus erat ratio?* Phil. *Antiqui* Literas *incidebant saxis malleo: postea insculpebant codicibus ligneis (præsertim faginis), in tabulas sectis ac dolatis, cælte: dehinc exarabant stylo ferreo (vel osico) in* Libris tiliaceis, *aut* folijs, *palmeis, oliagineis, malvaceis, & linteis, ceratis aut gypsatis: postmodum calamo Nilotico inscribebant* Pargamenæ, *è tergoribꝰ ovinis paratæ.* Cur. *Nondum ergò erat in usu* Papyrus? Phil. *Subseqventer inventa est* Papyrua, *è Papyro planta bicubitali, habentæ tunicas (ut habet Cepe) latissimas, & prætennes: qvas acu discriminatas, aquâ glutinosâ perfusas, prelo complanatas, sole desiccatas, digerebant in* Scopũ *viginti plagulas habentem: nunc in usu est* Charta, *quam Chartopœus è linamẽtis & linteamentis concerptis, inqȝ pul-*

mentum contusis, & *in folia diductis, intermistaq; collâ, nè charta perfluat) conficit, ac in* Volumina *minora,* & *Volumina majora, colligit.* Cur. *Atramentum quomodo consit?* Phil. Atramentum Scriptorium *consit è gallis quernis,* & *vitriolo; quibus (ad prohibendum mucorem) aliqvantum aluminis adinditur:* Cur. *Penna verò quomodo paratur?* Phil. Penna(*anserina vel pavonina) eligitur caule amplo, firmo, per translucido; quam qui scriptioni tēperat, eradit scalpelli tergo scabritiem, detruncat caudam, rescindit utrinq; caput, ut fiat bifurcatum: tùm diffindendo facit crenam, pro atramenti defluxu; istăque incisuram rursum circumcîdit,* & *æqualiter præcîdit, demùm intingit, ac scribit; post in* Calamarium *recondit.*
Cur. Scribendi, *ut audio, varia est, apud Gentes varias,* ratio? Phil. He*bræi scribunt à dextra sinistramversùs-*

Græci, & *cæteri Europæi, à sinistra dextram versùs;* Indi *perpendiculariter, à summo ad imum, æquè legibiliter.* Desid. *Rem miram! Dictāta alterius quomodo excipiebant, M. Vanelle?* Van. *Prisci habuerunt* Tachygraphiā, *qvâ sermonem, non ad calamum dictantis, sed liberè loquentis, excipere manu sufficiebāt, per SIGLAS: nos habemus etiam celeriorem, qvâ unus unâ die plùs describit, quàm aliâs mille Scribæ possent, TYPOGRAPHIAM.* (*Sed &* Stenographiā *nuperrimè exsuscitârunt Angli.*) Des. Audio. Typographus *v. quomodo literarium exercet artificium?* Van. Typographus *distribuit per loculamēta æneos* typos, *permagno numero conflatos: qvos* Typotheta *indidem sigillatim expromens, in Verba, Versus, Paginas, componit, ferreis marginibus (nè dilabātur) coarctat, prelo indit, atramēto impressorio (qvod ex fuligine & oleamento*

mento parat) illinit, chartis suppositis apprimit, & sic integras schedas momẽto exscribit: (correctissimè omnes, si modò primum exemplar fuerit sic correctum, corrector *non fuerit idiota, aut iners): expleto verò expemplarium numero, typos rursùm per cellulas suas disjectat, ut denuò promtè in alium textum coagmentari possint.* Des. *Ita Libri conficiebantur. at qvid operæ huc conferebant Librarij?* Van. Librarij o*lim chartas agglutinabant alias alijs, convolvebantq; in Volumina: nunc eas* Bibliopegus (*Compactor) compingit in Codices: dum singulas philuras (rarioris chartæ) aquâ aluminatâ tingit, siccatas complicat, malleat, consuit, dorso conglutinat, demarginat, tegmentis (coriaceis, membranaceis, papyraceis) scircummunit, adversaq; latera clausuris (uncis aheneis) fibulat, aut ligulis (corteis, vel sericeis) connectit, grandioribꝰ etiam umbilicatas bullas affigit.* Des.

At qui libros vendat quis erit? Van. Bibliopola *vendit libros in* Bibliopolio: Bibliothecarius *eosdem congestat in* Bibliothecam, *& adscribit Catalogo, & disponit per forulos ac repositoria, & exponit ad usum super pluteos.* Des. *Quot in formas complicari librum dixisti nuper Spudæe?* Spud. *Ab exteriore forma* Liber *est vel* Chartæ integræ, *vel plicatæ in* quadrum, (*aut in sex octo, duodecim, sedecim, folia*): columnatus *item, aut* lingvatus; *atq; si grandior est, qvàm ut unâ compacturâ comprehendatur, in* Tomos divisus. Des. Libri *ipsius* partes *quænam sunt?* Spud. *Interiores* Libri partes *sunt;* Inscriptio (*seu* Titulus), Dedicatio, *&* Præfatio (*quâ argumentum edisseritur*), *interdum &* Elogia: *tùm* Tractatus *ipse, in Sectiones dispertitus: dehinc* Clausula, *cum* Indice *contentorum, aut etiam erratorum.* Des. *Qui*

Librum

Librum scribit quomodo audit? Spud. *Libri scriptor, dicitur* Author; *primum scriptum*, Autographum; *inde transscripta*, Apographa; Editor, *si simul* emendator *fuit*, Censor: *cujus est judicare de germanitate scripti (an non sit supposititititium, ex toto, vel ex parte); & Lectores admonere de genuina lectione, (si exemplaria dissonent), verò omnium sensu; sive interscriptis glossematis, sive separatis annotationib⁹.* Des. *Quinam librorum facile distrahitur?* Spud. Liber *benè elaboratus* fit vendibilis, *recuditurq́ sæpius: sed videndum, ut* Editio *semper sit auctior, vel saltem correctior: noxiosi verò (libri) utinam nulli evulgentur!*

Actus IV. Scena IV Schola.

Personæ Eædem.

TYro. *Qvid libri sint intelligo,* Scholæ *quid sint? avet animus*

ſcire, M. Vanelle? Van. *Transfundendi Eruditionem è Libris in homines Officina, SCHOLÆ ſunt: ubi omnes, qui vitam ſapienter ordiri, & proſperè tranſigere, optant, exerceri neceſſe habent non in Literatura ſolùm, ſed in omnibus quæ humanam naturam perficiunt: nempe ut rectè* Sapere, *rectè* Agere, *rectè* Loqui, *prædiſcant.* Tyr. *Hoc unicum aveo unicè. tu quâ potes morigerum juva diſcipulum?* Van. *Qui docet,* Doctor *eſt, Tyro; qui diſcit,* Diſcipulus: *quorum ille ſi doctus, ſimulq́;* Didacticus, *(cui doctrinam alijs communicãdi gnaritas adſit, & promtitudo), hic a.* docilis *& diſciplinoſus (qvotidie aliqvid novi reſcire ac addiſcere avidus) fuerit, uterq́; habebit delicias,* Scholaque *fiet* ludus, *dum operæ ludibundis peragentur utrinq́;.*

Tyr. *Ego non deero officio, modò rectâ inſtituar methodo.* Van. *Erit hoc, ſi uno tem-*

tempore nonnisi unum agatur, nè distrahantur Sensus: & *semper* gradatim eatur, *qvomodo res ab invicem pendent: Docensq́ præmonstret cujusq́ rei* (*noscendæ aut faciendæ*) *exqvisitum* exemplar: *illudq́ perspicuis* præceptis *explicet*; & imitari *mox jubeat*: *Discens verò exemplar intueatur avidè*, & *informationem de illo percipiat attentè*, & *mox exprimere accuratâ imitatione studeat*; Magistro adstante, & nè aberret provi'ēte; *aut*, si aberrare videt, corrigente: Condiscipulis *verò*, *quotqvot fuerint, assistentibus*; *ut in quo emendatur unus, in eo hallucinari dediscant, mendasq́ desvesiant, omnes.*

Tyr. *Idem te observare privatim deprehendo Spudæe?* Spud. *Hæc manuductionis identitas eam habet commoditatem, ut Pædagogus unus in pulpito stans, erudiendæ quantævis catervæ satisfaciat: hi autem, dum omnia palàm*

omnibus

omnibus fiunt, mutuâ æmulatione ſeipſos certatim excitent, & acuant: atq́ue ſic ingenioſi proficiant potenter, tardiores verò, ipſa exerticiorum aſſiduitate, difficultates quoq́ue ſuperent: quod Examina *oſtendent.* Tyro. *Satis hoc fuerit; pergamus & votis ſucceſſus de cœlo imploremus ſecundos.* Phil. *Benè id quidem. Sed audi Puer. Inſtitutioni adjungitur inſuper* Diſciplina, *nè ob indulgentiam obrepat incuria, vel deſidia, aut diſſoluta licentia: ergò qui negligenter agit, increpatur; qui deſidioſus eſt, ferulâ caſtigatur: ſed in quo malitioſa obſtinatio deprehenditur, dignus eſt à morigerorum conſortio ſecludi, nè pravitate inficiat alios.* Tyro. *Nemo utitur Præceptore, niſi amico.* Phil. Ludimagiſter *proinde plagoſus cavebit eſſe Orbilius: potius diligentibus recreationes honeſtas, ſpatiationes, colluſiones, libenter (non invitè) permittet*

tet; adeoq; utilia providendo exercitia, ipsamet colludet. Tyro. *Promotio Scholasticorũ qualis instituitur per eminentiores Scholarum disciplinas?* Phil. *Scholarum infima*, Trivialis, *pro Elementarijs est, quorum sensus circa res sensuales exercendi sunt: dehinc* Gymnasium (*Scholam classicam vocant*) *pro ijs, qui Lingvas & Liberales artes discunt, & circa rationes rerum noscitandas exercitandi sunt: tandem* Academia, *pro ijs, qvi absolutam Eruditionem, (rerum scilicet intellectum purum,) quærunt; ubi* Professores quatuor Facultatum (Philosophiæ, Medicinæ, Iurisprudentiæ, Theologiæ) *hoc dant operã, ut inde prodeant humanæ vitæ magistri*, Philosophi, Medici, Iureconsulti, Theologi.

EPI-

EPILOGVS.

ARtes, Artiumq́ue Magiſtri, in conſpectu veſtro, Aud. Excell. ſua ſinguli exercuêre artificia, ſi quid deſideratis, ſi quid ampliùs vultis publicè privatimq́; erit monendi locus & tempus. Subtexuiſſemus prout nuper Phyſicæ factum, Veterum ſymbolam Poëtarum, & faciemus, DEO nos ſoſpitante, modò

[SINT MOECENATES NON DEERUNT, FLACCE, MARONES!

Le [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
par

tinem hanc. Arbore
fici habebat quidam pla
tatam in vinea sua:
et venit querens fruc
tum in illa. et non in
venit. Dixit autem
ad cultorem vinee. Ec

Sin aute in fu
succides eam
docens in syna
eorum sabbis
et mulier que
spm infirmita
nis decem et o